Incipit elleaddabarim qui
deuteronomiū ꝑnotatur.

Ca. pͣmū.

HEc ſūt verba que lo
cutus ē moyſes ad
oēm iſrl̄ trans ior
danē in ſolitudine
cāpeſtri cōtra mare
rubꝛū inter pharan ⁊ thofel ⁊ la
ban ⁊ aſeroth vbi auri eſt pluri
mū vndecim diebꝰ de oreb ꝑ viaꝫ
montis ſeir vſqꝫ cadeſbarne Qua
drageſimo āno vndecimo menſe
prima die mēſis locutꝰ ē moyſes
ad filios iſrl̄ oīa que ꝑcepat illi
dn̄s ut dicēt eis poſtꝙ ꝑcuſſit ſe
on regē amorreorū q̄ habitauit i
eſebon ⁊ og regē baſan q̄ manſit
in aſeroth ⁊ in edrai trās iorda
nē i terra moab Cepitqꝫ moyſes
explanare legeꝫ ⁊ dicere. Dn̄s deꝰ
noſter locutꝰ ē ad nos i oreb di
cēs. Sufficit vobis ꝙ in hoc mōte
māſiſtis. Reuertimini ⁊ venite ad
montē amorreoꝝ ⁊ ad cetera q̄ ei
ꝓxima ſūt cāpeſtria atꝫ mōtana
⁊ humiliora loca contra meridi
em ⁊ iuxta litus maris terrā cha
naneoꝝ ⁊ libani vſqꝫ ad flumen
magnū eufraten. Et inq̄t tr̄didi
vob̄. Ingredimini et poſſidete eaꝫ
ſup qua iurauit dn̄s patribꝰ ve
ſtris abrhā yſaac ⁊ iacob ut da
ret illaꝫ eis ⁊ ſemini eoꝝ poſt eos
Dixitqꝫ vob̄ i illo tēpore Nō poſſuꝫ
ſolus ſuſtinere vos qꝛ dn̄s deus
vr̄ multiplicauit vos et eſtis ho
die ſic ſtelle celi plurimi. Dn̄s de
us patrū veſtroꝝ addat ad hūc
numerū multa milia ⁊ benedicat
vob̄ ſic locutus ē. Nō valeo ſolꝰ
negocia vr̄a ſuſtinere ⁊ pōdus ⁊
iurgia. Date ex vobis viros ſapi
entes ⁊ gnaros quoꝝ ꝯuerſatō
ſit ꝓbata in tribubꝫ veſtris ut po
nā eos vob̄ pn̄cipes Tūc reſpon
diſtis m̄. Bona res ē quā vis face
re. Tuliqꝫ de tribubꝰ vr̄is viros
ſapiētes ⁊ nobiles ⁊ ꝯſtitui eos
pn̄cipes tribunos ⁊ cēturiones ⁊
⁊ quinq̄genarios ac decanos q̄
docerent vos ſingula. Pcepiqꝫ eis
dicēs. Audite illos ⁊ qd̄ iuſtū eſt
iudicate. Siue ciuis ſit ille ſiue pe
regrinꝰ nulla erit diſtātia pſona
rū. Ita puū audietis ut magnuꝫ
nec accipietis cuiuſꝙ pſonaꝫ qꝛ
dei iuditiū ē. Qd̄ ſi difficile vobis
viſū aliq̄d fuerit referte ad me ⁊
ego audiaꝫ. Precepiqꝫ omīa q̄ fa
cere deberetis. Profectiqꝫ de oreb
trāſiuimus p heremū terribilem
⁊ maximā ſolitudineꝫ quā vidi
ſtis p viā montis amorrei ſic̄ pre
cepat dn̄s deus nr̄ nobis. Cūqꝫ
veniſſemꝰ in cadeſbarne dixi vob̄
Veniſtis ad mōtē amorrei queꝫ
dn̄s deꝰ veſter daturꝰ ē vob̄ Vide
terraꝫ quā dn̄s deꝰ tuus dabit ti
bi. Aſcēde ⁊ poſſide eam ſic̄ locutꝰ
ē dn̄s deus noſter patribus tuis
Noli timere nec quicꝙ paueas.
Et acceſſiſtis ad me oēs atqꝫ di
xiſtis. Mittamꝰ viros q̄ cōſiderēt
terraꝫ ⁊ renūtiēt p qd̄ iter debea
mus aſcēdere ⁊ ad quas pgere ci
uitates. Cūqꝫ m̄ ſmo placuiſſet
miſi ex vob̄ duodecim viros ſin
gulos de tribubꝰ ſuis. Qui cū per
rexiſſent ⁊ aſcendiſſent in mōta
na venerūt vſqꝫ ad vallē botri et
cōſiderata terra ſumētes de fructi
bus eiꝰ ut oñderēt vbertateꝫ attu
lerunt ad nos atqꝫ dixerūt. Bona

eſt terra quã dñs deꝰ noſter da
turus eſt nobis Et noluiſtis aſcẽ
dere ſed increduli ad ſermõez dei
nr̃i murmuraſtis ĩ tabernacul' ve
ſtris atq̃ dixiſtis. Odit nos dñs ⁊
idcirco eduxit nos de terra egip
ti ut traderet nos in manu amor
rei atq̃ deleret. Quo aſcẽdemꝰ? Nũ
cij terruerũt cor nr̃m dicentes Ma
xima multitudo eſt ⁊ nobis ſtatu
ra ꝓcerior. Vrbes magne ⁊ ad ce
lũ vſq̃ munite. Filios enachim
vidimꝰ ibi. Et dixi vob' nolite me
tuere nec timeatis eos. Dñs deus
qui ductor eſt nr̃ ꝓ vobis ipſe pug
nabit ſicut fecit in egipto cũctis
videntibꝰ ⁊ in ſolitudine ipſi vidi
ſtis. Portauit te dñs deꝰ tuꝰ ut ſo
let homo geſtare paruulũ filiũ ſu
um in õni via ꝑ quã ambulaſti
donec veniretis ad locũ iſtum. Et
nec ſic quidẽ credidiſtis dño deo
veſtro q̃ preceſſit vos in via ⁊ me
tatus eſt locũ in quo tentoria fi
gere deberetis: nocte oñdens vob'
iter ꝑ ignẽ ⁊ die ꝑ colũnã nubis
Cũq̃ audiſſ; dñs vocẽ ſmonũ ve
ſtrorꝫ iratus iurauit ⁊ ait. Nõ vi
debit quiſpiã de hominibꝰ gñacõ
nis huiꝰ peſſime terrã bonã quã
ſub iuramento pollicitus ſũ prĩbꝫ
veſtris p̃ter caleph filiũ iephone
Ipſe enĩ videbit eam ⁊ ipſi dabo
terrã quã calcauit ⁊ filijs eiꝰ. q2
ſecutus eſt dñm. Nec miranda in
dignacõ in populũ cũ mihi q̃ ira
tus deꝰ ꝓpter vos dixerit. Nec tu in
gredieris illuc ſ; ioſue filiꝰ nun mi
niſter tuꝰ ipſe intrabit ꝓ te. Hũc
exhortare ⁊ robora ⁊ ipſe ſorte ter
rã diuidet iſrl'. Paruuli vr̃i de qui
bꝰ dixiſtis q2 captiui ducerent et
filij q̃ hodie boni ac mali ignorãt
diſtãtiã ipſi ingredient ⁊ ipſis dabo
terrã ⁊ poſſidebũt eã. vos ãt reũ
timi ⁊ abite in ſolitudinẽ ꝑ viã
maris rubri. Et reſpõdiſtis m̃. Pecca
uimꝰ dño Aſcẽdemꝰ ⁊ pugñbimus
ſic ꝑcepit dñs deꝰ nr̃. Cũq̃ inſtru
cti armis ꝑgeretis ĩ montẽ ait m̃
dñs. Dic ad eos. Nolite aſcẽdere
neq̃ pugnetis Non eĩ ſũ vobiſcũ
ne cadatis corã inimicis nr̃is. Lo
cutus ſũ ⁊ nõ audiſtis ſ; aduerſã
tes imperio dñi ⁊ tumẽtes ſupbia
aſcendiſtis in mõtẽ. Itaq̃ egreſ
ſus amorreꝰ q̃ habitabat ĩ monti
bꝰ ⁊ obuiã veniẽs ꝑſecutus ẽ vos
ſicut ſolent apes ꝑſeq̃ ⁊ cecidit de
ſeir vſq̃ horma. Cũq̃ reuerſi plo
raretis corã dño nõ audiuit vos
nec voci vr̃e voluit acq̃eſcẽ. Sedi
ſtis ergo ĩ cadeſbarne multo tpe

Ca. ij.

PRofectiq̃ inde veni
mꝰ ĩ ſolitudinẽ q̃ ducit ad
mare rubrũ ſicut mihi dixerat do
minꝰ ⁊ circuiuimꝰ montẽ ſeir lon
go tpe Dixitq̃ dñs ad me. Suffi
cit vobis circuire mõtẽ iſtũ: ite cõ
tra aq̃lonẽ ⁊ populo p̃cipe dicẽs
Tranſibitis ꝑ terminos fratrũ
vr̃orꝫ filiorũ eſau qui habitant
in ſeir ⁊ timebunt vos. Videte ẽ
diligẽter ne moueamini cõtra eos
Neq̃ enĩ dabo vobis de terra eorꝫ
quãtum poteſt vnꝰ pedis calcare
veſtigiũ. q2 in poſſeſſionẽ eſau de
di mõtẽ ſeir. Cibos emetis ab eis
pecunia ⁊ comedetis aquã emptã
haurietis ⁊ bibetis. Dñs deꝰ tuus
bñdixit tibi in õni ope manuũ
tuarꝫ. Nouit iter tuũ q̃ũo trãſieris
ſolitudinẽ hanc magnã ꝑ q̃dra
ginta ãnos habitãs tecum dñs

deus tuus ⁊ nihil tibi defuit Cum
q; tranſiſſemus fratres nr̄os fili
os eſau qui habitabāt i ſeir per
viam campeſtrem de helath et de
aſiongaber venimus ad iter qđ
ducit in deſertum moab Dixitq;
dn̄s ad me Nō pugnes ɔtra mo
abitas nec ineas aduerſus eos
preliū Nō enim dabo tibi quicq̄
de terra eorū quia filijs loth tra
didi ar i poſſeſſionē Emim primi
fuerūt habitatores eius ꝑplus
magnus et validus ⁊ tam excel
ſus vt de enachim ſtirpe quaſi gi
gātes crederent̄ ⁊ eſſent ſil'es fili
orū enachim Denicq; moabite ap
pellāt eos emim In ſeir āt prius
habitauerūt horim q̄bus expul
ſis atq; deletis habitauerūt filij
eſau ſicut fecit iſrl' in terra poſſeſ
ſionis ſue quā dedit illi dn̄s Sur
gētes ergo vt trāſirem⁹ torrentē
zareth venim⁹ ad eū Temp⁹ au
tē quo ambulauim⁹ de cadeſbar
ne vſq; ad tranſitū zareth trigin
ta et octo ānorū fuit donec conſu
meret̄ omnis ɔgregatio hoīm bel
latoruʒ de caſtris ſicut iurauerat
dn̄s cuius manus fuit aduerſus
eos vt interirēt de caſtrorū medio
Poſtq̄ aūt vniuerſi ceciderūt pu
gnatores locut⁹ ē dn̄s ad me di
cēs Tu trāſibis hodie terminos
moab vrbē noīe ar et accedes in
vicinia filiorū ammon Caue ne
pugnes cōtra eos nec mouearis
ad p̄lium Nō enī dabo tibi de ter
ra filiorū ammon q᷑ filijs loth de
di eā i poſſeſſionē Terra gigātū
reputata ē et in ipa olim habita
uerūt gigātes quos āmonite vo
cāt zommim ꝑp'ls magn⁹ ⁊ mul

tus ⁊ ꝓcere longitudinis ſic̄ ena
chim q̄s deleuit dn̄s a facie eorū
et fecit illos habitare ꝓ eis ſicut
fecerat filijs eſau q̄ habitāt i ſeir
delens horreos et terrā eorū illis
tradēs quā poſſident vſq; in p̄ns
Eueoſq; qui habitabāt i aſerim
vſq; gazam capadoces expulerūt
q̄ egreſſi de capadocia deleuerunt
eos et habitauerūt ꝓ illis. Sur
gite tranſite torrentē arnon. Ecce
tradidi in manu tua ſeon regem
eſebon amorreū et terrā ei⁹ incipe
poſſidere et ɔmitte aduerſus eum
preliū Hodie incipiā mittere ter
rorē atq; formidinē tuaʒ in ꝑp'los
q̄ habitant ſub omni celo vt au
dito nomīe tuo paueāt et in mo
rem parturientiū ɔtremiſcāt ⁊ do
lore teneant̄ Miſi ergo nūcios de
ſolitudine cademoth ad ſeon re
gem eſebon v̄bis pacificis dicēs
Tranſibim⁹ p terrā tuā publica
g̃diemur via Non declinabimus
neq; ad dexterā neq; ad ſiniſtrā.
alimēta p̄cio vende nob' vt veſca
mur aquā pecunia tribue ⁊ ſic bi
bemus Tantū ē vt nobis ɔcedas
tranſitū ſicut fecerūt filij eſau qui
habitāt in ſeir et moabite q̄ ha
bitant i ar donec veniam⁹ ad ior
danē et tranſeam⁹ ad terrā quā
dn̄s de⁹ noſter datur⁹ eſt nobis
Noluitq; ſeon rex eſebon dare no
bis tranſitū q᷑ indurauerat dn̄s
deus tu⁹ ſpiritū eius. et obfirma
uerat cor illius ita vt traderet̄ in
manus tuas ſicut nūc vides. Dix
itq; dn̄s ad me. Ecce cepi tibi tra
dere ſeon ⁊ terrā eius incipe poſſi
dere eā. Egreſſuſq; eſt ſeon obuiā
nobis cū om̄i ꝑp'lo ſuo ad p̄lium

in iaſa et tradidit eū dn̄s deꝰ no
ſter nobis ꝑcuſſimꝰq; eū cū filijs
ſuis ⁊ om̄i populo ſuo: cūctaſq; vr
bes i tēpore illo cepimꝰ interfectis
habitatoribꝰ eaꝝ viris ac mulie
ribꝰ ⁊ paruulis. Nō reliqm̄ꝰ in eis
quicq̄ abſq; iumentis q̄ in par
tē venere p̄dantium ⁊ ſpolijs vrbi
um quas cepimꝰ ab aroer que ē
ſup ripam torrentis arnō oppido.
qd̄ in valle ſitū eſt vſq; galaad.
Nō fuit vicus ⁊ ciuitas que nr̄as
effugeret manꝰ. Om̄es tradidit
dn̄s deꝰ noſter nobis abſq; terra
filioꝝ āmon ad quā non acceſſi
mꝰ ⁊ cūctis que adiacēt torrēti ie
boc: ⁊ vrbibꝰ mōtanis vniuerſis
q; locis a quibꝰ nos ꝓhibuit do
minꝰ deꝰ noſter. Ca. iij.

Itaq; conūſi aſcendimꝰ ꝑ iter ba
ſan. Egreſſuſq; eſt og rex baſan
in occurſuz nobis cū populo ſuo
ad bellandū in edrai: dixitq; do
minꝰ ad me. Ne timeas eū q̄ i ma
nu tua traditꝰ eſt cū om̄i populo
ac terra ſua: facieſq; ei ſic feciſti
ſeon regi amorreoꝝ qui hītauit i
eſebon. Tradidit ergo dn̄s deus
noſter in manibꝰ nr̄is etiā og re
gem baſan et vniuerſū populū
eius: ꝑcuſſimꝰq; eos vſq; ad int̄
necōem vaſtantes cūctas cītates
illiꝰ vno tēpe. Non fuit oppidum
qd̄ nos effugeret. Sexaginta vr
bes om̄ez regiōez argob regni og
in baſan. Cūcte vrbes erāt mūite
muris altiſſimis portiſq; ⁊ vectibꝫ
abſq; oppidis innūeris q̄ nō ha
bebāt muros. Et deleuimꝰ eos ſic
feceramꝰ ſeon regi eſebon diſperdē
tes om̄em ciuitatē viroſq; ac muli
eres ⁊ paruulos. iumenta autē ⁊

ſpolia vrbiū diripuimꝰ. Tulimꝰ
q; illo in tēpe terrā de manu duo
rū regum amorreorū qui erāt trās
iordanē a torrente arnō vſq; ad
montē hermon quē ſydonij ſariō
vocant ⁊ amorrei ſanir: om̄es ciui
tates que ſite ſūt in planicie ⁊ vni
uerſā terrā galaad ⁊ baſan vſq;
ſelcha ⁊ edrai ciuitates regni og
in baſan. Solus q̄ppe og rex ba
ſan reſtiterat de ſtirpe gygātum.
Mōſtratᷣ lectꝰ eius ferreꝰ q̄ eſt in
rabath filiorū āmon: nouē cubi
tos habens lōgitudinis ⁊ q̄tuor
latitudinis ad menſurā cubiti vi
rilis manꝰ. Terrāq; poſſedimꝰ tē
pe illo ab aroer q̄ eſt ſup ripam
torrentis arnō: vſq; ad mediam
partez montis galaad. Et ciuita
tes illiꝰ dedi ruben ⁊ gad. reliquā
autē partē galaad ⁊ om̄em baſā
regni og tradidi medie tribui ma
naſſe om̄ez regionē argob. Cūcta
baſan vocatᷣ terra gygātū. Iair fi
liꝰ manaſſe poſſedit om̄ez regionez
argob vſq; ad terminos geſſuri ⁊
machati. Vocauitq; ex noīe ſuo
baſā anothiair ⁊ villas iair vſq;
in p̄ntez diē. Machir q; dedi gala
ad ⁊ tribubꝰ ruben ⁊ gad dedi de
terra galaad vſq; ad torrētē arnō
mediū torrētis ⁊ finiū vſq; ad tor
rentē ieboc q̄ eſt terminꝰ filioꝝ am
mō: ⁊ planiciē ſolitudinis atq; ior
danē ⁊ terminos cenereth vſq;
ad mare deſerti qd̄ ē ſalſiſſimum
ad radices mōtis phaſga cōtra ori
entē. Precepiq; vobis in t̄pe illo
dicēs. Dn̄s deꝰ vr̄ dat vob̄ terraz
hāc in hereditatē: expediti p̄cedite
frēs vr̄os filios iſrl̄ om̄s viri robu
ſti abſq; vxoribꝫ ⁊ paruulꝭ atq; iumētis

Noui eī ꝙ plura habeatiſ pecora
et in vrbib⁹ remanere debebunt
quas tradidi vobis donec req̄em
tribuat dn̄ſ fratrib⁹ vr̄is ſic vob
tribuit et poſſideāt etiā ipi terraꝫ
quā daturus ē eis trāſ iordanē
tūc reūtet vnuſquiſqꝫ in poſſeſſio
nem ſuā quā dedi vobiſ. Joſueqꝫ
in tp̄e illo precepi dicēs Oculi tui
viderūt que fecit dn̄s de⁹ nr̄ duo
bus hijs regib⁹ ſic faciet om̄ib⁹
regnis ad q̄ tranſiturus es. Ne ti
meas eos dn̄s enī de⁹ vr̄ pugna
bit ꝓ vobis Precatuſqꝫ ſū dn̄m i
tēpore illo dicens Dn̄e de⁹ tu cepi
ſti oſtēdere ſeruo tuo magnitudi
nem tuā manūqꝫ fortiſſimā Neqꝫ
enī eſt alius de⁹ vel in celo vel in
terra qui poſſit facere opa tua. et
ꝯpari fortitudini tue Trāſibo igit̄
et videbo terrā hāc optimā trāſ
iordanē et montē iſtū egregium
⁊ libanū Iratuſqꝫ ē dn̄s mihi ꝓp
ter vos nec exaudiuit me ſ; dixit
mihi Sufficit tibi nequaq̄ vltra
loquaris de hac re ad me Aſcē de
cacumen phaſge et oculos tuos
circūfer ad occidentē et ad aq̄lo
nem auſtrūqꝫ ⁊ orientē ⁊ aſpice
Nec enī tranſibis iordanē iſtum
Precipe ioſue ⁊ corrobora eū atqꝫ
ꝯforta q̄a ipſe p̄cedet pp̄l'm iſtuꝫ
et diuidet eis terraꝫ quā viſurus
es. Manſimuſqꝫ in valle contra
phanum phogor

Ca. iiij.

ET nūc iſrl' audi precepta ⁊
iudicia que ego doceo te vt
faciēs ea viuas et ingrediēs poſ
ſideas terrā quā dn̄s deus patrū
veſtroꝝ daturus eſt vobis. Non
addetis ad verbū qd̄ vobiſ loq̄r
nec auferetis ex eo Cuſtodite mā
data dn̄i dei vr̄i que ego precipio
vobis Oculi vr̄i viderūt omnia q̄
fecit dn̄ſ ꝯtra beelphegor quō ꝯ
triuerit om̄es cultores eiuſ de me
dio vr̄i Vos autē qui adheretis
dn̄o deo vr̄o viuitis vniūſi vſqꝫ
in p̄ſentem diem. Scitis ꝙ docueri
vos p̄cepta atqꝫ iuſticias ſic mā
dauit mihi dn̄s deus me⁹ ſic faci
etis ea in t̄ra quā poſſeſſuri eſtis
⁊ obſeruabitis ⁊ implebitis ope
Hec eſt enī vr̄a ſapientia ⁊ intel
lectus coram ppl'is vt audientes
vniuerſi p̄cepta hec dicāt. En po
pulus ſapiens ⁊ intelligēs gens
magna Nec ē alia natio tam grā
dis q̄ habeat deos appropinquā
tes ſibi ſicut deus noſter adeſt cū
ctis obſecrationib⁹ nr̄is Que eſt
enī alia gēs ſic inclita vt habeat
cerimoniaſ iuſtaqꝫ iudicia ⁊ vni
uerſā legē quā ego ꝓponā hodie
ante oculos vr̄os. Cuſtodi igit̄
temetip̄m et animā tuā ſollicite
Ne obliuiſcaris v̄boꝝ q̄ viderunt
oculi tui ⁊ ne excidāt de corde tuo
cūctis dieb⁹ vite tue Docebis ea
filios ac nepotes tuos diem in q̄
ſtetiſti corā dn̄o deo tuo i oreb qn̄
dn̄s locut⁹ ē mihi dicēs Congre
ga ad me pp̄l'm vt audiant ſmo
nes meoſ ⁊ diſcāt timere me om̄i
tēpore quo viuūt i terra doceātqꝫ
filios ſuos Et acceſſiſtis ad radi
ces mōtis q̄ ardebat vſqꝫ ad celū
erātqꝫ in eo tenebre et nubes ⁊ ca
ligo. Locutuſqꝫ ē dn̄s ad vos de
medio ignis. Vocē verborū eius
audiſtis et formā penit⁹ nō vidi
ſtis Et oſtēdit vobis pactū ſuū qd̄
precepit vt faceretis et decem ver
ba que ſcripſit in duab⁹ tabulis

lapideis. Mihiqꝫ mādauit in illo
tēpe ut docerē vos cerimonias ⁊
iudicia q̄ facere deberetis in terra
quā poſſeſſuri eſtis. Cuſtodite
igiť ſollicite aīas vr̄as. Nō vidi
ſtis aliquā ſimilitudinē in die q̄
locutus eſt vobis dn̄s in oreb de
medio ignis: ne forte decepti faci
atis vobis ſculptā ſimilitudinē
aut ymaginē maſculi vel femine
ſimilitudinē omnium iumentorū
que ſunt ſup terrā vel auium ſub
celo volantiū atqꝫ reptiliū q̄ mo
uentur in terra: ſiue piſciū qui ſb
terra morantur in aquis ne forte
oculis eleuatis ad celū videas ſo
lem ⁊ lunam ⁊ ōnia aſtra celi et
errore deceptus adores ea ⁊ colas
que creauit dn̄s deus tuꝰ in mini
ſteriū cūctis gentibꝰ que ſub celo
ſunt. Vos autē tulit dn̄s ⁊ edux
it de fornace ferrea egipti ut habe
ret populū hereditariū ſicut eſt in
pn̄ti die. Iratuſqꝫ ē dn̄s cōtra me
ꝓpter ſermōes vr̄os ⁊ iurauit ut
nō trāſirem iordanē nec ingrede
rer terrā optimā quā daturus ē
vobis. Ecce morior in hac humo:
nō tranſibo iordanē. vos trāſibi
tis ⁊ poſſidebitis terrā egregiā.
Caue ne qn̄ obliuiſcaris pacti do
mini dei tui qđ pepigit tecū ⁊ faci
as tibi ſculptā ſimilitudinē eorū
que fieri dn̄s ꝓhibuit. Quia dn̄s
deus tuꝰ ignis ꝯſumens eſt deus
emulator. Si genueritis filios ac
nepotes ⁊ morati fueritis in terra
deceptiqꝫ feceritis vobis aliquā ſi
militudinē patrantes malū corā
domino deo vr̄o ut eū ad iracūdiā
ꝓuocetis: teſtes inuoco hodie ce
lū ⁊ ťrā cito perituros vos eē de ťra

quā tn̄ſituri iordānē poſſeſſuri eſtis.
Nō hītabitis ī ea lōgo tpe ſꝫ dele
bit vos dn̄s atqꝫ diſpget ī oēs gē
tes: ⁊ ᷣmanebitis pauci in naciōi
bꝰ ad q̄s vos ducturꝰ eſt dn̄s. Ibi
qꝫ ſeruietis diis q̄ hominū manu
fabricati ſunt: ligno ⁊ lapidi qui
non vidēt nō audiunt non come
dunt nō adorātur. Cūqꝫ queſieris
ibi dominū deū tuum inuenies eū
ſi tamē toto corde queſieris ⁊ tota
tribulacōne aīe tue: poſtq̄ͣ te in
uenerint ōnia que ꝑdicta ſūt. No
uiſſimo autē tempe ᷣuerteris ad
dn̄m deum tuū ⁊ audies vocē eius
quia deꝰ miſericors dn̄s deus tuꝰ
eſt. Nō dimittet te nec ōmino de
lebit neqꝫ obliuiſceť pacti in quo
iurauit patribꝰ tuis. Interroga de
diebus antiq̄s qui fuerunt ante
te ex die quo creauit deus hoīem
ſuper terram a ſummo celi vſqꝫ
ad ſūmum eius: ſi facta eſt aliqn̄
huiuſcemodi res aut vnq̄ͣ cogni
tum eſt ut audiret populus vocē
domini loquentis de medio ignis
ſicut tu audiſti ⁊ vidiſti ſi fecit de
us ut ingrederetur et tolleret ſibi
gentem de medio nacōnum per
temptacōes ſigna atqꝫ portenta
ꝑ pugnam ⁊ robuſtā manū ex
tentūqꝫ brachiū ⁊ horribiles viſi
ones. iuxta omnia que fecit ꝓ no
bis dominꝰ deus noſter in egipto
videntibus oculis tuis: ut ſcires q̊
niam dn̄s ipſe eſt deꝰ nō eſt aliꝰ
preter vnū. De celo te fecit audiē
vocē ſuā ut doceret te ⁊ in terra oſ
dit tibi ignē ſuū maximū ⁊ audi
ſti v̄ba illiꝰ de medio ignis qꝛ di
lexit pr̄es tuos ⁊ elegit ſemē eorū
pꝰ eos. Eduxitqꝫ te ꝑcedēs ī v̄tute

ſua magna ex egipto vt delēt na
tōnes maximas ⁊ fortiores te ī in
troitu tuo et ītroducēt te daretqȝ
tibi terrā eaꝝ ī poſſeſſionē ſicut
cernis in pn̄ti die. Scito g° hodie
⁊ cogitato in corde tuo ꝙ dn̄s ipē
eſt deus in celo ſurſū ⁊ in terra de
orſū et nō ſit alius Cuſtodi p̄cep
ta eius atqȝ mandata q̄ ego preci
pio tibi vt bn̄ ſit tibi ⁊ filijs tuis
poſt te et ꝑmaneas multo tēpore
ſup terrā quā dn̄s deus tuus da
turus eſt tibi. Tūc ſeparauit moy
ſes tres ciuitates trans iordanē
ad orientalem plagā vt ↄfugiat
ad eas q̄ occiderit nolens ꝓximū
ſuū nec fuerit ſibi inimicus ante
vnum ⁊ alterū diē et ad haꝝ ali
quā vrbiū poſſit euadē. boſor in
ſolitudīe q̄ ſita ē in terra cāpeſtri
de tribu ruben ⁊ ramoth ī galaad
que ē in tribu gad et golā in ba
ſan que ē in tribu manaſſe. Iſta
eſt lex quā ꝓpoſuit moyſes coraȝ
filijs iſrł et hec teſtimonia et ceri
monie atqȝ iudicia q̄ locutus eſt
ad filios iſrł quādo egreſſi ſūt de
egipto trās iordanē ī valle ↄtra
phanū phogor ī terra ſeon regis
amorrei q̄ habitauit ī eſebon quē
ꝑcuſſit moyſes Filijqȝ iſrł egreſ
ſi ex egipto poſſiderūt terraȝ eiꝰ
et terrā og regis baſan duoꝝ re
gū amorreoꝝ q̄ erāt trans iorda
nē ad ſolis ortū ab aroer q̄ ſita
eſt ſup ripam torrētis arnō vſqȝ
ad montē ſanir q̄ eſt et hermon
omneȝ planiciem trans iordanē
ad orientalē plagā vſqȝ ad marē
ſolitudinis ⁊ vſqȝ ad radices mō
tis phaſga

Capitulum. v.

Vocauitqȝ moyſes omēȝ iſra
helē ⁊ dixit ad eū. Audi iſrł
cerimonias atqȝ iudicia que ego
loquor in auribꝰ vr̄is hodie Di
ſcite ea et ope ↄplete. Dn̄s deꝰ nr̄
pepigit nobiſcū fedus ī oreb Nō
cū prībꝰ nr̄is iniit pactū ſꝫ nobi
ſcū q̄ in pn̄tiaꝝ ſumus et viuimꝰ
Facie ad faciem locutꝰ ē nobis
in monte de medio ignis Ego ſeq̄
ſter ⁊ medius fui inter dn̄um et
vos in tēpore illo vt annunciarē
vobis verba eius Timuiſtis eīm
ignē et non aſcendiſtis in mōteȝ
Et ait. Ego dn̄s deus tuꝰ q̄ eduxi
te de t̃ra egipti de domo ſeruitutis
Nō habeb deos alienos in ↄſpcū
meo Non facies tibi ſculptile nec
ſilitudineȝ omniū que in celo ſūt
deſup et q̄ in t̃ra deorſū et que ver
ſātur in aquis ſub terra Nō ado
rabis ea et nō coles Ego eīm ſum
dn̄s deus tuus. deꝰ emulator red
dens iniq̄tatē prm̄ ſup filios ī ter
ciam ⁊ quartā generationē hijs
qui oderūt me ⁊ faciens miām in
multa milia diligētibus me et cu
ſtodientibꝰ p̄cepta mea Nō vſur
pabis nomē dei tui fruſtra q2 nō
erit impunitꝰ qui ſup re vana no
men eius aſſumpſerit. Obſerua
diē ſabbati vt ſanctifices eū ſicut
p̄cepit tibi dn̄s deus tuus Sex di
ebus operaberis et facies omīa
opa tua Septimus dies ſabbati
eſt id eſt reqes dn̄i dei tui Non fa
cies in eo quicq̄ȝ operis tu et filiꝰ
tuus et filia ſuus ⁊ ancilla bos ⁊
aſinus et omne iumentū tuuȝ et
peregrinus qui ē intra portas tu
as vt requieſcat ſeruꝰ et ancilla
tua ſicut et tu Memento ꝙ et ipē

ſeruieris in egipto et eduxerit te i
de dñs de⁹ tuus in manu forti et
brachio extẽto. Idcirco ꝓcepit ti
bi ut obſeruares diẽ ſabbati. Ho
nora pr̃em tuum ⁊ mr̃em ſicut p̃
cepit tibi domin⁹ deus tu⁹ ut lõgo
viuas tẽpe: ⁊ bñ ſit tibi in terra
quã domin⁹ de⁹ tuus daturus eſt
tibi. Non occides. neq̃ mechabe
ris. furtũq̧ non facies. nec loque
ris ↄtra ꝓximũ tuũ falſũ teſtimo
niũ. Non cõcupiſces vxorẽ ꝓximi
tui. nõ domũ. non agrũ. nõ ſeruũ
non ãcillam. nõ bouem. nõ aſinũ
⁊ vniũſa que illius ſunt. Hec ver
ba locutus eſt domin⁹ ad õnem
multitudinem vr̃am in monte de
medio ignis ⁊ nubis ⁊ caliginis
voce magna nihil addẽs ampli
us ⁊ ſcripſit ea in duab⁹ tabulis
lapideis q̃s tradidit mihi. Vos
autẽ poſtq̃ audiſtis vocẽ de me
dio tenebrarũ ⁊ montẽ ardere vi
diſtis: acceſſiſtis ad me õnes pri
cipes tribuũ ⁊ maiores natu atq̧
dixiſtis. Ecce oñdit nob̃ dominus
de⁹ noſter maieſtatẽ et magnitu
dinẽ ſuã. Vocẽ eni ei⁹ audiuim⁹
de medio ignis ⁊ ꝓbauim⁹ hodie
q̧ loquẽte deo cũ homie vixerit ho
mo. Cur ergo moriemur ⁊ deuorã
bit nos ignis hic maxim⁹. Si ei
audierim⁹ vltra vocem domini di
noſtri moriemur. Quid eſt õnis
caro ut audiat vocem dei viuẽtis
qui de medio ignis loq̃tur ſic nos
audiuim⁹ ⁊ poſſit viuere. Tu ma
gis accede et audi cũcta q̃ dixerit
domin⁹ de⁹ noſter tibi: loqueriſq̧
ad nos ⁊ nos audiẽtes faciem⁹ ea
q̃d cũ audiſſ; dñs ait ad me. Au
diui vocẽ verboꝝ populi hui⁹ q̃
locuti ſunt tibi. Bñ õnia ſunt locu
ti. Quis det talem eos habẽ men
tem ut timeant me ⁊ cuſtodiant
vniũſa mandata mea in õni tpe
ut bene ſit eis ⁊ filijs eorũ in ſem
piternũ. Vade ⁊ dic eis. Reuerti
mini in tentoria vr̃a. Tu vero hic
ſta mecũ ⁊ loquar tibi õnia man
data mea ⁊ cerimonias atq̧ iudi
cia que docebis eos ut faciãt ea in
terra quã dabo illis in poſſeſſiõe;
Cuſtodite igitur ⁊ facite q̃ ꝓcepit
domin⁹ de⁹ vobis. Nõ declinabitis
neq̧ ad dexterã neq̧ ad ſiniſtraꝫ
ſed ꝑ viam quã precepit domin⁹
de⁹ veſter ambulabitis: ut viua
tis ⁊ bene ſit vobis ⁊ protelentur
dies vr̃i in terra poſſeſſionis vr̃e.

Hec ſunt ꝓcepta ⁊ Ca. vi.
cerimonie atq̧ iudicia que
mandauit dñs de⁹ veſter ut doce
rem vos ⁊ faciatis ea in terra ad
quam tranſgredimini poſſidẽdaꝫ
ut timeas dominũ deum tuum et
cuſtodias õnia mandata ⁊ ꝓcep
ta eius que ego precipio tibi ⁊ fi
lijs ac nepotibus tuis cunctis di
eb⁹ vite tue ut prolongentur di
es tui. Audi iſrahel ⁊ obſerua ut
facias que ꝓcepit tibi dominus ⁊
bene ſit tibi ⁊ multipliceis ampli
us: ſicut pollicitus eſt domin⁹ de⁹
pr̃m tuorũ tibi trã lacte ⁊ melle
manãtẽ. Audi iſrl̃. Domin⁹ de⁹ nr̃
de⁹ vn⁹ eſt. Diliges dñm deũ tuũ
ex toto corde tuo ⁊ ex tota aĩa
tua ⁊ ex tota fortitudine tua. Erũt
q̧ verba hec que ego precipio ti
bi hodie in corde tuo ⁊ narrabis
ea filijs tuis ⁊ meditaberis ſedens
in domo tua ⁊ ambulans in itine
re: dormiẽs atq̧ cõſurgens ⁊ ligab̃

eā quaſi ſignū in mãu tua eruntqꝫ
et mouebunt̄ inter oculos tuos
ſcribeſqꝫ ea in limine et hoſtijs do
mus tue. Cumqꝫ introduxerit te
dn̄s deus tuus in terrā ꝓ qua iu
rauit patribꝰ tuis abrahā yſaac
⁊ iacob et dederit tibi ciuitates mag
nas et optimas quas nō edifica
ſti. domos plenas cunctaꝝ opuꝫ
quas nō extruxiſti. ciſternas q̄s
nō effodiſti. vineta et olineta q̄
non plantaſti ⁊ comederis ⁊ ſatu
ratus fueris caue diligēter ne ob
liuiſcaris dn̄i dei tui qui eduxit te
de terra egipti de domo ſeruitutis
Dominū deū tuū timebis ⁊ illi ſo
li ſeruies ac ꝑ nomē illiꝰ iurabis
Non ibitis poſt deos alienos cun
ctaruꝫ gentiū q̄ in circuitu veſtro
ſūt qm̄ deus emulator dn̄s deꝰ tu
us in medio tui nequando iraſca
tur furor dn̄i dei tui cōtra te et au
ferat te de ſuperficie terre Nō temp
tabis dn̄m deū tuuꝫ ſicut tēptaſti
in loco tēptationis Cuſtodi pre
cepta dn̄i dei tui ac teſtimonia et
cerimonias quas precepit tibi ⁊
fac qd placitū ē et bonuꝫ in cōſpe
ctu dn̄i vt bene ſit tibi et ingreſſꝰ
poſſideas terrā optimā de qua iu
rauit dn̄s patribus tuis vt delēt
om̄es inimicos tuos corā te ſicut
locutus eſt Cū interrogauerit te
filius tuus cras dicens quid ſibi
volūt teſtimōia hec et cerimonie
atqꝫ iudicia q̄ p̄cepit dn̄s deꝰ nr̄
nob. dices ei Serui eramus pha
raonis in egipto ⁊ eduxit nos do
minus de egipto in manu forti fe
citqꝫ ſigna atqꝫ ꝓdigia magna ⁊
peſſima ī egipto ꝯtra pharaonē
et omneꝫ domū illius ī ꝯſpcū nr̄o

⁊ eduxit nos inde vt introductis
daret terram ſuper qua iurauit pa
tribus nr̄is Precepitqꝫ nob dn̄s
vt faciamꝰ om̄ia legittima hec et
timeamus dn̄m deum nr̄m vt bn̄
ſit nobis cūctis diebꝰ vite noſtre
ſicut ē hodie Eritqꝫ nr̄i miſericors
ſi cuſtodierimꝰ ⁊ fecerimꝰ omnia
p̄cepta eius corā dn̄o deo noſtro
ſicut mādauit nob Ca. vij.

Cum vero introduxerit te do
minꝰ deus tuus ī terrā quā
poſſeſſurus ingredieris et deleue
rit gētes multas corā te. etheū et
gergezeū et amorreū chananeuꝫ
et phereſeū et eueuꝫ et iebuſeum
ſeptē gētes mlto maioris nume
ri q̄ tu es et robuſtiores te tradi
deritqꝫ eas dn̄s deus tuꝰ tibi per
cies eas vſqꝫ ad internetionē. Nō
inibis cū eis fedꝰ nec miſereberis
earꝫ neqꝫ ſociabis cū eis cōiugia
Filiā tuā nō dabis filio eius nec
filiā illius accipies filio tuo qꝛ ſe
ducet filiuꝫ tuū ne ſequat̄ me et
vt magis ſeruiat dijs alienis Ira
ſcetqꝫ furor dn̄i et delebit te cito.
Quin potius hec facietis eis Aras
eorū ſubuertite et cōfringite ſtatu
as lucoſqꝫ ſuccidite et ſculptilia
cōburite q̄a ꝑplus ſanctꝰ es dn̄o
deo tuo Te elegit dn̄s deus tuus
vt ſis ei populꝰ peculiaris de cun
ctis populis q̄ ſūt ſuper terrā. Non
qꝛ cunctas gentes numero vince
batis vobis iūctus eſt dn̄s ⁊ ele
git vos. cū omnibꝰ ſitis populis
pauciores ſed qꝛ dilexit vos dn̄s
et cuſtodiuit iuramentū qd iura
uit patribꝰ veſtris Eduxitqꝫ vos
in manu forti et redemit de domo
ſeruitutis de mãu pharaōis regis

egipti: ⁊ ſcies quia dñs deꝰ tuus
ipſe eſt deus fortis ⁊ fidelis: cuſto
diens pactū ⁊ miſericordiaꝫ dili
gentibꝰ ſe ⁊ hiis q̄ cuſtodiūt pre
cepta eius in mille gñacões: ⁊ red
dens odientibꝰ ſe ſtatī: ita ut diſ
perdat eos ⁊ vltra nō differat ꝓ
tinus eis reſtituens qđ merentur.
Cuſtodi ergo p̄cepta ⁊ cerimoni
as atqꝫ iudicia q̄ ego mādabo ti
bi hodie ut facias. Si poſtq̄ȝ au
dieris hec iudicia cuſtodieris ea ⁊
feceris: cuſtodiet ⁊ dñs deus tuus
tibi pactū ⁊ miſericordiā quā iu
rauit patribꝰ tuis ⁊ diliget te et
multiplicabit: bñdicetqꝫ fructui
ventris tui ⁊ fructui terre tue. fru
mento tuo atqꝫ vindemie. oleo ⁊
armentis gregibꝰ ouiū tuarū ſup
terram: ꝓ qua iurauit pr̄ibꝰ tuis
ut daret eam tibi. Bñdictꝰ eris in
ter ōnes ꝓplos. Nō erit apud te
ſterilis vtriuſqꝫ ſexꝰ tā in homini
bus q̄ȝ in gregibꝰ tuis. Auferꝫ do
minꝰ a te ōnem languorē: ⁊ infir
mitates egipti peſſimas q̄s noui
ſti nō inferet tibi ſed cūctis hoſti
bus tuis. Deuorabis ōnes popu
los quos dñs deꝰ tuus daturus
eſt tibi. Non parcꝫ eis oculus tu
us nec ſeruies diis eoꝝ ne ſint in
ruinaꝫ tui. Si dixeris in corde tuo
plures ſunt gētes iſte q̄ȝ ego quō
potero delere eas: noli metuere ſꝫ
recordare que fecerit dñs deus tu
us pharaoni ⁊ cunctis egipciis
plagas maximas quas viderūt
oculi tui ⁊ ſigna atqꝫ portēta ma
nūqꝫ robuſtā ⁊ extētū brachium
ut educēt te dñs deꝰ tuus. Sic fa
ciet cūctis populis quos metuis.
Inſup ⁊ ſcrabones mittet dñs de
us tuus in eos: donec deleat oēs
atqꝫ diſperdat q̄ te fugerint ⁊ la
tere poterint. Non timebis eos q̄r
dominꝰ deus tuus in medio tui ē.
deus magnꝰ et terribilis. Ipſe cō
ſumet nacões has in ꝯſpectu tuo
paulatim atqꝫ ꝑ partes. Non po
teris eas delere pariť ne forte mľ
tiplicētur cōtra te beſtie terre. Da
bitqꝫ eos dominꝰ deꝰ tuꝰ in ꝯſpectu
tuo ⁊ interficiet illos donec peni
tꝰ deleantᷓ. Tradetqꝫ reges eorū i
manus tuas ⁊ diſperdes noīa eo
rum ſub celo. Nullꝰ poterit reſiſte
re tibi donec conteras eos. Sculp
tilia eorū igne cōbures. Non ꝯcu
piſces argentū ⁊ aurū de quibus
facta ſunt: neqꝫ aſſumes ex eis ti
bi quicq̄ȝ ne offendas ꝓpterea q̄r
abhominacō ē domini dei tui: nec
inferes quippiā ex ydolo in domū
tuaꝫ: ne fias anathema ſic̄ ⁊ illud
eſt. Quaſi ſpurciciā deteſtaberis
⁊ velut inquinamentū ac ſordes
abhominacioni habebis q̄r ana
thema eſt. Ca. viii.

Omne mādatū quod ego p̄
cipio tibi hodie caue diligē
ter ut facias ut poſſitis viuere et
multiplicemini: ingreſſiqꝫ poſſide
atis terrā ꝓ qua iurauit dñs pa
tribꝰ vr̄is. Et recordaberis cūcti iti
neris per qđ adduxit te dñs deus
tuꝰ quadraginta ānis ꝑ deſertuꝫ
ut affligeret te atqꝫ tēptaret ⁊ no
ta fierent que in tuo aīo v̇ſabā
tur vtrū cuſtodires mādata illi
us an nō. Afflixit te penuria ⁊ dedit
tibi cibū māna quē ig̃rabas tu ⁊
pr̄es tui ut oñdēt tibi q̄r nō in ſolo
pāe viuit hō. ſꝫ i oī v̇bo qđ egredi
tur de ore dñi. Veſtimētū tuū q̄ȝ

operiebaīs nequaꝗ̄ vetuſtate de
fecit et pes tuus nō eſt ſubtritus
En quadrageſimꝰ annus ē vt re
cogites ī corde tuo quia ſicut eru
dit filiū ſuū homo ſic dn̄s deꝰ tuꝰ
erudiuit te vt cuſtodias manda
ta dn̄i dei tui et ābules in vijs eiꝰ
et timeas eū Dn̄s enī deus tuus ī
troducet te in terrā bonā terrā ri
uorū aquarūq; ⁊ fontiū in cuius
campis et montibꝰ erūpūt fluui
orū abiſſi. terrā frumenti ordei ac
vinearū in qua ficus et malagra
nata et oliueta naſcūt. terrā olei
ac mellis vbi abſq; vlla penuria
comedes panē tuū et rerū omniū
abundancia ꝑfrueris. cuiꝰ lapi
des ferrū ſūt et de montibus eius
eris metalla fodiunt̄ vt cū come
deris et ſaciatꝰ fueris: benedicas
dn̄o deo tuo ꝓ terra optima quā
dedit tibi Obſ'ua ⁊ caue nequan
do obliuiſcaris dn̄i dei tui ⁊ negli
gas mādata eius atq; iudicia et
cerimonias q̄s ego p̄cipio tibi ho
die ne poſtꝗ̄ comederis ⁊ ſaciatꝰ
fueris domos pulchras edifica
ueris ⁊ habitaueris in eis. habu
eriſq; armenta ⁊ ouiū greges. ar
genti et auri cūctarūq; rerꝫ copiā
eleuet̄ cor tuū et nō reminiſcaris
dn̄i dei tui q̄ eduxit te de terra egi
pti de domo ſuitutis ⁊ ductor tuꝰ
fuit in ſolitudine magna atq; ter
ribili ī qua erat ſerpens flatu ad
urēs ⁊ ſcorpio ac dipſas et nulle
omnino aque. q̄ eduxit riuos de
petra duriſſima et cibauit te mā
na in ſolitudine qđ neſcierūt pa
tres tui Et poſtꝗ̄ afflixit ac ꝓba
uit ad extremū miſertus ē tui. ne
diceres in corde tuo fortitudo mea
et robur manꝰ mee hec mihi oīa
p̄ſtiterūt ſed recorderis dn̄i dei tui
ꝙ ipſe vires tibi p̄buerit vt iple
ret pactū ſuū ſup quo iurauit pa
tribus tuis ſicut p̄ſens indicat di
es Si autē oblitꝰ dn̄i dei tui ſecu
tꝰ fueris deos alienos colueriſq;
illos ⁊ adoraueris: ecce nūc p̄di
co tibi ꝙ oīno diſpereas Sicut gē
tes quas deleuit dn̄s in introitu
tuo ita ⁊ vos pibitis ſi ī obedīētes
fueritis voci dn̄i dei vrī Ca. ix.
Audi iſrahel. Tu tranſgredi
eris hodie iordanē vt poſſi
deas nationes maximas ⁊ fortio
res et ciuitates īgentes ⁊ ad celū
vſq; muratas populū magnum
atq; ſublimē. filios enachim q̄s
ipſe vidiſti ⁊ audiſti. q̄bꝰ nullus
poteſt ex aduerſo reſiſtere. Scies
ergo hodie ꝙ dn̄s deus tuus ip̄e
trāſibit āte te ignis deuorās atq;
cōſumens. qui cōterat eos et dele
at atq; diſperdat ante faciē tuā
velociter ſicut locutꝰ eſt tibi. Ne
dicas in corde tuo cū deleuerit eos
dn̄s deus tuus in cōſpectu tuo. ꝓpt̄
iuſticiā meā introduxit me dn̄s
vt terrā hanc poſſiderē. cū ꝓpter
īpietates ſuas iſte delete ſint nati
ones Neq; enī ꝓpter iuſticias tu
as et equitatē cordis tui ingredi
eris vt poſſideas terras earū. ſꝫ quia
ille egerūt impie: introeūte te delete
ſūt. et vt cōpleret verbū ſuū dn̄s
qđ ſub iuramēto pollicitus ē pa
tribus tuis abraham yſaac ⁊ ia
cob. Scito ergo ꝙ nō ꝓpter iuſti
cias tuas dn̄s deꝰ tuꝰ dederit tibi
terrā hāc optimā in poſſeſſionē
cū duriſſime ceruicis ſis populꝰ
Memento ⁊ ne obliuiſcaris quō

ad iracūdiā ꝓuocaueris dn̄m de
um tuū in ſolitudine ⁊ ex eo die
quo egreſſus es ex egipto vſqꝫ
ad locū iſtū. ſemp aduerſū dn̄m
contēdiſti. Nā ⁊ in oreb ꝓuocaſti
eum ⁊ iratus delere te voluit: qn̄
aſcēdi in montē ut acciperē duas
tabulas lapideas pacti qđ pepi
git vobiſcū deꝰ. Et perſeueraui in
monte q̄draginta diebꝰ ac nocti
bꝰ: panem nō comedēs ⁊ aquaʒ
nō bibens. Deditqꝫ mihi dn̄s du
as tabulas lapideas ſcriptas digi
to dei ⁊ ꝯtinentes oīa verba que
vobis locutus eſt in mōte de me
dio ignis qn̄ contio populi ꝯgre
gata eſt. Cūqꝫ trāſiſſent q̄dragi
ta dies ⁊ totidem noctes dedit mi
hi dn̄s duas tabulas lapideas
tabulas federis: dixitqꝫ mihi. Sur
ge ⁊ deſcende hinc cito qꝛ populꝰ
tuus quē eduxiſti de egipto deſe
ruerūt velociter vitaʒ quā demō
ſtrāſti eis: feceruntqꝫ ſibi conflatile
Rurſūqʒ ait dominꝰ ad me. Cer
no qꝛ populꝰ iſte dure ceruicis ſit
dimitte me ut cōterā eum ⁊ deleā
nomen eius ſub celo ⁊ cōſtituam
te ſup gentem que hac maior et
fortior ſit. Cūqꝫ de mōte ardente
deſcendereʒ ⁊ duas tabulas fede
ris vtraqʒ tenerem manu: vidiſ
ſeqʒ peccaſſe vos dn̄o deo vr̄o et
feciſſe vobꝭ vitulū conflatileʒ ac de
ſeruiſſe velocit̄ viam eiꝰ quā vobꝭ
oſtēderāt: ꝓieci tabulas de manibꝫ
meis ꝯfregiqꝫ eas in ꝯſpectu veſtro
Et ꝓcidi an̄ dn̄m ſicut p̄us q̄dra
ginta diebꝰ ⁊ noctibꝰ: panē non
comedēs ⁊ aquā nō bibens ꝓpt
oīa pctā vr̄a que geſſiſtis cōtᷓ
dn̄m ⁊ eū ad iracūdiā ꝓuocaſtis

Timui enī indignacōem ⁊ irā illi
us q̄ aduerſū vos ꝯcitatus delere
vos voluit. Et exaudiuit me dn̄s
etiā hac vice. Aduerſū aaron quoqꝫ
vehemēter iratus voluit eū ꝯterē
⁊ ꝓ illo ſimilit̄ deꝓcatus ſū. Pctm̄
autē veſtrū qđ feceratis id ē vitu
lū arripiēs igne cōbuſſi: ⁊ in fru
ſta ꝯminuens oīnoqꝫ in pulue
rem redigens ꝓieci in torrenteʒ q̄
de monte deſcēdit. In incendio qꝫ
⁊ in temptacōne ⁊ in ſepulchris
cōcupiſcentie ꝓuocaſtis dn̄m: et
quando miſit vos de cadeſbarne
dicens aſcendite ⁊ poſſidete terrā
quam dedi vobis: ⁊ contēpſiſtis
imperiū domini dei vr̄i ⁊ non credi
diſtis ei: neqʒ vocem eius audire
voluiſtis. ſed ſemper fuiſtis rebel
les a die qua noſſe vos cepi. Et
iacui coram domino quadragin
ta diebus ac noctibus quibꝰ eū
ſuppliciter deprecabar ne deleret
vos ut fuerat cōminatus ⁊ orās
dixi. Domine deus ne diſperdas
populuʒ tuū ⁊ hereditatem tuam
quaʒ redemiſti in mag̃tudine tua
quos eduxiſti de egipto in manu
forti. Recordare ſeruorū tuorum
abrahā yſaac ⁊ iacob. Ne aſpici
as duriciā populi huiꝰ ⁊ impieta
tem atʒ pctm̄: ne forte dicant ha
bitatores terre de q̄ eduxiſti nos
non poterat dominꝰ introducere
eos in terram quā pollicitus ē eiſ
⁊ oderat illos. idcirco eduxit ut i
terficeret illos in ſolitudine: qui
ſunt populus tuꝰ ⁊ hereditas tua
quos eduxiſti in fortitudine tua
magna ⁊ in brachio tuo extēto.

Capitulum decimū.

In tempore illo dixit dñus ad me
Dola tibi duas tabulas lapide
as sic p̄ores fuerūt ⁊ aſcende ad
me in montē· facieſq; archam li
gneā et ſcribam in tabulis vba
que fuerūt in hijs quas ante cō
fregiſti· poneſq; eas in archa Fe
ci igit̄ archam de lignis ſethim
Cūq; dolaſſem duas tabulas la
pideas inſtar priorū: aſcēdi ī mō
tem habens eas in manib⁹ · Scri
pſitq; in tabulis iuxta id qđ pri⁹
ſcripſerāt vba decē q̄ locut⁹ ē dñs
ad vos in monte de medio ignis
quando ppl's ɔgregat⁹ ē et dedit
eas mihi Reuerſuſq; de monte de
ſcendi et poſui tabulas in archā
quā fecerā· q̄ hucuſq; ibi ſūt ſicut
mihi p̄cepit dñs Filij aūt iſrł
caſtra mouerūt ex beroth filiorū
iachan in moſura vbi aarō mor
tuus et ſepultus ē· p quo ſacdo
tio functus ē filius eius eleazar·
Inde venerūt in gadgad de quo
loco pfecti caſtrametati ſūt in ie
thabatha in terra aquarū atq;
torrentiū Eo tpe ſeparaui tribuz
leui vt portaret archā federis dñi
et ſtaret corā eo in miniſterio ac
bñdiceret in noīe illius vſq; in p̄
ſentē diē Quā ob rem nō habuit
leui partē neq; poſſeſſionē cū fra
tribus ſuis· q̄a ipſe dñs poſſeſſio
eius eſt ſicut pmiſit ei dñs deus
tuus Ego aūt ſteti in monte ſicut
prius quadraginta dieb⁹ ac no
ctibus· exaudiuitq; me dñs etiaz
hac vice ⁊ te pdere noluit Dixitq;
mihi Vade et p̄cede ppl'm vt ingre
diat̄ ⁊ poſſideat terrā quā iuraui
patrib⁹ eoꝝ vt traderē eis Et nūc
iſrł q̄d dñs de⁹ tu⁹ petit a te·nī vt
timeas dñm deū tuū et ambules
in vijs eius et diligas eū ac ſerui
as dño deo tuo in toto corde tuo
⁊ in tota aīa tua cuſtodiaſq; mā
data dñi ⁊ cerimōias ei⁹ q̄s ego
hodie p̄cipio tibi vt bñ ſit tibi En
dñi dei tui celū eſt et celū celi ter
ra ⁊ oīa q̄ in ea ſūt ⁊ tamē prib⁹
tuis cōglutinat⁹ ē dñs ⁊ amauit
eos: elegitq; ſemē eoꝝ poſt eos
id ē vos de cunctis gentib⁹ ſic ho
die cōprobat̄· Circūcidite igitur
p̄puciū cordis vrī et ceruicem ve
ſtrā nō induretis āplius qr dñs
de⁹ veſter ipſe ē deus deorū et dñs
dñantiū deus magnus ⁊ potēs ⁊
terribilis qui pſonā nō accipit
nec munera Facit iudicium pu
pillo et vidue· amat pegrinū· et
dat ei victū atq; veſtitū Et vos er
go amate peregrinos q̄a ⁊ ipi fu
iſtis aduene in terra egipti Dñm
deū tuū timebis et ei ſoli ſeruies
Ipſi adherebis: iurabiſq; in noīe
illius Ipſe ē laus tua et deus tu⁹
qui fecit tibi hec magnalia et ter
ribilia q̄ viderūt oculi tui· In ſep
tuaginta aīab⁹ deſcenderūt prēs
tui in egiptū et ecce nūc multipli
cauit te dominus deus tu⁹ ſicut
aſtra celi

Ca·xi·

Ama itaq; dñm deū tuum et
obſerua p̄cepta eius et ceri
mōias iudicia atq; mādata omī
tēpore· Cognoſcite hodie q̄ igno
rāt filij veſtri qui nō viderūt diſci
plinā dñi dei veſtri· magnalia e⁹
et robuſtā manuz extentūq; bra
chiū· ſigna ⁊ opa que fecit ī me
dio egipti pharaōi regi ⁊ vniuſe
terre eius omīq; exercitui egipti
orum ⁊ equis ac curribus· q̄mō

opꝑuerint eos aque maris rubri
cū vos pſequerent̄ ⁊ deleuerit eos
dn̄s vſqꝫ in pn̄tem diem: vobiſqꝫ
que fecerit in ſolitudine: donec ve
niretis ad hunc locū: et dathan
atqꝫ abiron filijs eliab qui fuit fi
lius ruben: quos aperto ore ſuo
terra abſorbuit cū domibꝰ ⁊ tab̄
naculis ⁊ vniuerſa ſubſtātia eo
rū quā habebāt in medio iſrahel
Oculi vr̄i viderunt ōnia opera do
mini magna que fecit ut cuſtodi
atis vniūſa mandata illius que
ego hodie p̄cipio vobis ⁊ poſſitiſ
introire ⁊ poſſidere terrā ad quā
ingredimini: multoqꝫ in ea viua
tis tēpe quā ſub iuramento polli
citus eſt dn̄s pr̄ibus veſtris ⁊ ſe
mini eorū lacte ⁊ melle manātē.
Terra autē ad quā ingredieris
poſſidendā nō eſt ſicut terra egip
ti de qua exiſti vbi iacto ſemine i
ortorū morem aque ducūtur irri
gue. ſed mōtuoſa eſt ⁊ cāpeſtris:
de celo expectās pluuias quā do
minꝰ deꝰ tuus ſemp inuiſit ⁊ oculi
illius in ea ſunt a pn̄cipio āni vſ
qꝫ ad finem eius. Si ergo obediei
tis mādatis meis que ego hodie
p̄cipio vobis: ut diligatis dn̄m
deū veſtrum ⁊ ſeruiatis ei in toto
corde veſtro ⁊ in tota anima vr̄a
dabit pluuiā terre veſtre tēpora
neā ⁊ ſerotinā ut colligatis frum̄
tum ⁊ vinū ⁊ oleum fenū ex agriſ
ad paſcenda iumenta ut ⁊ ipi co
medatis ac ſaturemini. Cauete ne
forte decipiatur cor vr̄m et receda
tis a dn̄o ſeruiatiſqꝫ dijs alienis ⁊
adoretis eos: iratuſqꝫ dn̄s clau
dat celū ⁊ pluuie nō deſcendant.
nec terra det germen ſuū: pereatiſ
qꝫ velociter de terra optima quā
dn̄s daturꝰ eſt vob. Ponite hec v̄
ba mea i cordibus ⁊ i aīs vr̄is et
ſuſpendite ea ꝓ ſigno in manibꝰ
⁊ inter oculos vr̄os collocate. Do
cete filios vr̄os ut illa meditētur
Cū ſederis in domo tua ⁊ ambula
ueris in via ⁊ accubueris atqꝫ ſur
rexeris ſcribes ea ſup poſtes ⁊ ia
nuas domꝰ tue: ut multiplicētur
dies tui ⁊ filiorū tuorum in terra
quā iurauit dn̄s pr̄ibꝰ tuis: ut da
ret eis q̄diu imminet celum terre.
Si enī cuſtodieritis mādata que
ego precipio vobis ⁊ feceritis ea
ut diligatis dn̄m deum veſtrū et
ambuletis in ōnibus vijs eiꝰ ad
herentes ei: diſperdet dn̄s omnes
gentes iſtas ante faciem vr̄am ⁊
poſſidebitis eas que maiores ⁊ for
des manū illius nec flecteris ſuper
eam vlla mīa· Nō habebis in ſac
culo diuerſa pondera maius ⁊ mi
nus: nec erit in domo tua modi
us maior ⁊ minor· Pondus ha
bebis iuſtū ⁊ verū ⁊ modius eql̄
⁊ verus erit tibi: ut multo viuas
tēpore ſup terrā quā dominꝰ deus
tuus dederit tibi· Abhominat̄ eñ
dominꝰ eum qui facit hec ⁊ aduer
ſat̄ omnem iniuſticiam· Memento
que fecerit tibi amalech ī via qñ
egrediebaris ex egipto: quō oc
curreric tibi ⁊ extremos agminis
tui qui laſſi reſidebant ceciderit·
quādo tu eras fame ⁊ labore con
fectꝰ ⁊ nō timuerit deū· Cū ergo
dominꝰ deꝰ tuus dederit tibi requi
em ⁊ ſubiecerit cūctas ꝑ circuitū
nacōes in terra quā tibi pollicitꝰ
eſt delebis nomē eius ſub celo·:
Caue ne obliuiſcaris· Ca· xxvi·
CVmq; intraueris terra quā
dominꝰ deus tuꝰ tibi daturꝰ
eſt poſſidēdam ⁊ obtinueris eam
atq; habitaueris in illa: tolles de
cūctis frugibꝰ tuis ꝑmicias ⁊ po
nes in cartallo ꝑgeſq; ad locum
quē dominꝰ deus tuꝰ elegerit ut
ibi inuocetur nomē eius: accedes
q; ad ſacerdotē qui fuerit in dieb;
illis ⁊ dicens ad eū· Profiteor ho
die corā dn̄o deo tuo ꝙ ingreſſus ſū
in terrā pro q̄ iurauit patrib; no
ſtris vt daret eam nobis· Suſcipi
enſq; ſacerdos cartallū de manu
tua ponet ante altare dn̄i dei tui ⁊
loqueris in cōſpectu domini dei tui
Sirus ꝑſequebat̄ patrem meū qui
deſcēdebat in egiptum ⁊ ibi ꝑegri
natꝰ eſt in pauciſſimo nūero: cre
uitq; in gētem magnam ac robu
ſtā ⁊ infinite multitudinis· Affli
xeruntq; nos egipcij ⁊ ꝑſecuti ſunt
imponentes onera grauiſſima ⁊
clamauimꝰ ad dominū deū patrū
noſtrorū q̄ exaudiuit nos ⁊ reſpe
xit humilitatem noſtrā ⁊ laborem
atq; anguſtiā: ⁊ eduxit nos de egi
pto in manu forti ⁊ brachio extē
to· in ingenti pauore· in ſignis at
q; portentis ⁊ introduxit ad locū
iſtū: ⁊ tradidit nobis terrā lacte
⁊ melle manantē· Et idcirco nūc
offero ꝑmicias frugū terre quā
dominus dedit mihi· Et dimittes
eas in cōſpectu dn̄i dei tui: ⁊ adora
to dn̄o deo tuo epulaberis in omi
bꝰ bonis que dominꝰ deus tuꝰ de
derit tibi ⁊ domui tue tu ⁊ leuites
⁊ aduena qui tecum eſt· Quādo
cōpleueris decimā cunctarum fru
gū tuarum· anno decimarū tercio
dabis leuite ⁊ aduene ⁊ pupillo
⁊ vidue ut comedant intra por
tas tuas ⁊ ſaturentur: loquerisq;
in conſpectu domini dei tui· Attuli
quod ſanctificatum eſt de domo
mea ⁊ dedi illud leuite ⁊ aduene
⁊ pupillo ac vidue ſicut iuſſiſti
mihi· Non ꝑterii mandata tua
nec ſum oblitus imperij· Non co
medi ex eis ī luctu meo nec ſepa
ui ea in q̄libet immūdicia: nec ex
pendi ex hijs quicq̄ ī re funebri
Obediui voci domini dei mei ⁊ feci
omīa ſicut p̄cepiſti mihi· Reſpice

de ſanctuario tuo ⁊ de excelſo celorū
habitaculo et benedic ꝑplo tuo iſ
rahel ⁊ terre quā dediſti nobis ſi
cut iuraſti patrib⁹ noſtris terre
lacte ⁊ melle manāti. Hodie dn̄s
deus tu⁹ p̄cepit tibi ut facias mā
data hec atq̧ iudicia ut cuſtodi
as ⁊ impleas ex toto corde tuo et
ex tota anima ſua. Dominū elegi
ſti hodie ut ſit tibi de⁹ ⁊ ambules
in vijs ei⁹ et cuſtodias cerimoni
as illius ⁊ mādata atq̧ iudicia ⁊
obedias eius imperio. En dn̄s ele
git te hodie ut ſis ei pp̄ls peculia
ris ſicut locutus eſt tibi ⁊ cuſtodi
as oia precepta illi⁹ ⁊ faciat te ex
celſiorē cūctis gētibus q̄s creauit
in laudē ⁊ nomē ⁊ gloriā ſuam ut
ſis popul⁹ ſanct⁹ dn̄i dei tui ſicut
locutus eſt. Ca. xxvij.

Recepit aūt moyſes et ſeni
ores ꝑplo iſrahel dicētes Cu
ſtodite omē mandatū qd̄ p̄cipio
vob̄ hodie. Cūq̧ trāſieritis iorda
nē in terram quā dn̄s deus tuus
dabit tibi eriges ingētes lapides
⁊ calce leuigabis eos ut poſſis in
eis ſcribere oia verba legis hui⁹
iordane trāſmiſſo ut introeas ter
ram quā dn̄s deus tuus dabit ti
bi terrā lacte ⁊ melle manantē ſi
cut iurauit patrib⁹ tuis. Quādo ḡ
trāſieitis iordanē erigite lapides
quos ego hodie p̄cipio vobis in
mōte hebal ⁊ leuigabis eos calce
et edificab̄ ibi altare dn̄o deo tuo
de lapidib⁹ q̄s ferrū non tetigit ⁊
de ſaxis informib⁹ et impolitis et
offeres ſuper eo holocauſta dn̄o
deo tuo ⁊ ymolabis hoſtias paci
ficas: comedeſq̧ ibi ⁊ epulaberis
corā dn̄o deo tuo. Et ſcribes ſuper

lapides oia verba legis hui⁹ pla
ne ⁊ lucide. Dixerītq̧ moyſes ⁊ ſa
cerdotes leuitici generis ad omē
iſrahelem. Attēde ⁊ audi iſrl̄. Ho
die factus es populus dn̄i dei tui.
Audies vocē eius ⁊ facies māda
ta atq̧ iuſticias q̄s ego p̄cipio ti
bi. Precepitq̧ moyſes populo in
die illo dicēs Hij ſtabūt ad bn̄di
cendū dn̄o ſup montem garizim
iordane trāſmiſſo ſymeon leui iu
das yſachar ioſeph ⁊ beniamin
Et e regione iſti ſtabūt ad maledi
cendū in mōte hebal ruben gad ⁊
azer zabulon dan ⁊ neptalim. Et
pronūciabunt leuite dicentq̧ ad
omnes viros iſrahel excelſa voce
Maledictus homo q̄ facit ſculpti
le ⁊ cōflatile abhominacōem dn̄i
op⁹ manuū artificū ponitq̧ illud
in abſcōdito. Et reſpōdebit omīs
populus et dicet amē. Maledict⁹
qui nō honorat prēm ſuū ⁊ matrē
Et dicet omīs populus amē. Ma
ledictus qui trāſfert terminos ꝓ
ximi ſui. Et dicet oīs popul⁹ amē.
Maledictus q̄ errare facit cecū in
itinere. Et dicet oīs populus amē
Maledictus q̄ ꝑuertit iudiciū ad
uene pupilli ⁊ vidue Et dicet oīs
pp̄ls amen. Maledictus q̄ dormit
cum vxore prīs ſui ⁊ reuelat operi
mentū lectuli eius. Et dicet omīs
populus amen. Maledictus q̄ dor
mit cū omni iumēto. Et dicet om
nis pp̄ls amen. Maledictus q̄ dor
mit cū ſorore ſua filia prīs ſui vel
matris ſue. Et dicet omīs popul⁹
amen. Maledictus q̄ dormit cū ſo
cru ſua Et dicet omīs pp̄ls amen.
Maledictus q̄ clam ꝑcuſſerit ꝓxi
mū ſuū. Et dicet omīs pp̄ls amen

Maledict⁹ qui accipit munerā ut
pcutiat aīam ſāguinis innocen
tis. Et dicz ōnis popul⁹ amē. Ma
ledict⁹ q̄ non pmanet in ſermoni
b⁹ legis hui⁹: nec eos ope pficit
Et dicz ōnis popul⁹ amē.

Si autē audieris Ca. xxviij.
vocē dn̄i dei tui ut facias atz
cuſtodias ōnia mādata eius que
ego p̄cipio tibi hodie: faciet te do
min⁹ deus tu⁹ excelſiorē cūctis gē
tibus que verſātur in terra. Veī
entqz ſup te vniuerſe bn̄dictiōes
iſte ⁊ apprehēdēt te: ſi tn̄ precepta
ei⁹ audieis Bn̄dict⁹ tu in ciuitate
et bn̄dict⁹ in agro. Benedict⁹ fru
ct⁹ ventris tui et fruct⁹ terre tue:
fructuſqz iumento⁊ tuo⁊ greges
armento⁊ tuo⁊ ⁊ caule ouium
tuarū. Bn̄dicta horrea tua ⁊ bene
dicte reliquie tue. Bn̄dict⁹ eris in
grediens ⁊ egrediēs. Dabit dn̄s
inimicos tuos q̄ cōſurgēt aduer
ſum te corruentes in cōſpectu tuo
Per viā vnam veniēt cōtra te et
p ſeptē fugient a facie tua. Emit
tet dn̄s bn̄dictōnem ſup cellaria
tua et ſup ōnia opa manuū tua
rū: benedicz qz tibi in terra quam
acceperis. Suſcitabit te dn̄s ſibi i
populū ſāctum ſicut iurauit tibi:
ſi cuſtodieis mādata domi dei tui
⁊ ābulaueris ī vijs ei⁹. Videbūt
qz ōnes terrarū populi q nomen
dn̄i inuocatū ſit ſup te ⁊ timebūt
te. Abundaē te faciet dn̄s ōnibz
bonis fructu vteri tui et fructu iu
mēto⁊ tuo⁊: fructu terre tue quā
iurauit dn̄s pr̄ib⁹ tuis ut darz ti
bi. Apiet dn̄s theſaurū ſuū opti
mū celū: ut tribuat pluuiā terre
tue in tēpe ſuo. Bn̄dicetqz cūctis
opib⁹ manuū tuarū ⁊ fenerab gē
tib⁹ multis et ipſe a nullo fen⁹ ac
cipies. Conſtituet te dn̄s de⁹ tu⁹
in caput ⁊ non in caudā ⁊ eris ſe
per ſup et nō ſubter. ſi tamē audie
ris mādata dn̄i dei tui q̄ ego preci
pio tibi hodie ⁊ cuſtodieris ⁊ fece
ris: ac n̄ declinaueris ab eis nec ad
dextrā nec ad ſiniſtrā: nec ſecutus
fueris deos alienos neqz colueris
eos. Q8 ſi audire nolueris vocem
dn̄i dei tui ut cuſtodias et facias
ōnia mādata ei⁹ et cerimōias q̄s
ego p̄cipio tibi hodie: veniēt ſup
te ōnes maledictōes iſte ⁊ app̄hē
dent te. Maledict⁹ eris in ciuitate
maledict⁹ in agro. Maledictū hor
reū tuū et maledicte reliq̄e tue Ma
ledict⁹ fruct⁹ ventris tui et fruc⁹
terre tue: armēta boum tuoruz et
greges ouiū tuarū. Maledcūs eſ
ingrediēs: et maledcūs egrediēs.
Mittet dominus ſup te famem et
eſuriem ⁊ increpacōem in omnia
opa tua q̄ tu facies: donec cōterat
te et pdat velociter ꝑpter adinuē
cōes tuas peſſimas in quib⁹ reli
quiſti me. Adiungat tibi domin⁹
peſtilentiaz: donec conſumat te de
terra ad quā ingredieris poſſidē
daz. Percuciat te domin⁹ egeſta
te ⁊ febri ⁊ frigore ardore ⁊ eſtu
⁊ aere corrupto ac rubigine et p
ſequaī donec peas. Sit celū qd ſu
pra te ē eneū et terra quā calcas
ferrea. Det dominus ymbrez ter
re tue puluerem et de celo deſcen
dat ſuper te cinis donec contera
ris. Tradat te dominus corruen
tem ante hoſtes tuos et per vnaz
viā egrediaris con̄ eos ⁊ p ſeptez
fugias ⁊ diſpgaris p oia reḡ tre.

Sitqꝫ cadauer tuū in eſcaꝫ cūctis
volatilibus celi et beſtijs terre et
nō ſit q̄ abigat. Percutiat te dn̄s
vlcere egipti et ꝑte corꝑis ꝑ quā
ſtercora digerunt᷑. ſcabieqꝫ ⁊ pru
rigine ita vt curari nequeas Per
cutiat te dn̄s amētia ⁊ cecitate ac
furore mentis ⁊ palpes ī meridie
ſicut palpare ſolet cecus in tene
bris et n̄ dirigas vias tuaſ Omqꝫ
tēpore calūniaꝫ ſuſtineas ⁊ oppri
maris violentia nec habeas qui
liberet te. Vxorē accipias ⁊ aliuſ
dormiat cū ea. Domū edifices et
nō habites ī ea. Plantes vineā
et nō vindemies eam. Bos tuus
ymolet᷑ corā te ⁊ n̄ ꝯmedas ex eo
Aſinus tuus rapiat᷑ ī ꝯſpectu tuo
⁊ nō reddat᷑ tibi Oues tue dentur
inimiciſ tuis et nō ſit qui te adiu
uet Filij tui ⁊ filie tue tradant᷑ al
teri ꝑꝑl'o videntib⁹ oculis tuis et
deficientib⁹ ad ꝯſpectū eorū tota
die ⁊ nō ſit fortitudo in manu tua
Fructus terre tue ⁊ omēs labōēs
tuos ꝯmedat ꝑꝑl's quē ignoras
⁊ ſis ſemꝑ calūniaꝫ ſuſtinēs ⁊ op
preſſus cūctis diebus ⁊ ſtupens
ad terrorē eoꝝ q̄ videbunt oculi
tui. Percutiat te dominus vlcere
peſſimo in genib⁹ ⁊ in ſuris ſana
riqꝫ nō poſſis a planta pedis vſqꝫ
ad verticē tuū. Ducetqꝫ te dn̄s et
regē tuū quē ꝯſtitues ſuꝑ te in gē
teꝫ quā ignoras tu et prēs tui et
ſuies ibi dijs alienis ligno ⁊ la
pidi et eris ꝑditus in ꝓūbiuꝫ ac
fabulaꝫ omib⁹ ꝑꝑl'is ad quos te
introduxerit dn̄s. Sementeꝫ mul
tā iacies in terrā ⁊ modicū ꝯgre
gab' ꝗ locuſte deuorabunt omīa
Vineā plātabis ⁊ fodies ⁊ vinū
nō bibes nec colliges ex ea q̄ſiꝑ
piam. q̄m vaſtat᷑ vmib⁹. Oliuaſ
habebis ī omnib⁹ terminis tuis
⁊ nō vngeris oleo. ꝗ defluent et
peribūt. Filios generabis ⁊ fi
lias ⁊ nō frueris eis. q̄m ducent᷑
in captiuitatē Omēs arbores tuaſ
⁊ fruges terre tue rubigo ꝯſumet
Aduena q̄ tecū verſat᷑ in t̄ra aſcē
det ſuꝑ te. eritqꝫ ſublimior. tu aūt
deſcēdes ⁊ eris īferior Ipē fenerabit
tibi ⁊ tu nō fenerabis ei. Ipſe erit
in caput et tu eris in caudā. Et ve
nient ſuꝑ te omēs maledictiones
iſte ⁊ ꝑſequentes apprehēdent te
donec intereas. ꝗ nō audiſti voceꝫ
dn̄i dei tui nec ſuaſti mādata ei⁹
et cerimonias q̄s p̄cepit tibi. Et
erūt in te ſigna atqꝫ ꝓdigia et in
ſemine tuo vſqꝫ ī ſempiternū: eo
ꝗ nō ſuieris dn̄o deo tuo in gau
dio cordiſqꝫ leticia ꝓpter rerū oīm
abundanciā Seruies inimico tuo
quē immittet tibi dn̄ſ in fame et
ſiti ⁊ nuditate ⁊ omni penuria et
ponet iugū ferreū ſuꝑ ceruicē tuā
donec te ꝯterat. Adducet dn̄s ſuꝑ
te gentē de longinquo et de extre
miſ terre finib⁹ in ſiſitudinē aq̄le
volantis cū impetu cuiuſ linguaꝫ
ītelligere nō poſſis: gentē ꝓcaciſ
ſimā que nō deferat ſeni nec miſe
reat᷑ puuli et deuoret fructū iumē
torū tuorū ac fruges terre tue: do
nec intereas ⁊ nō relinq̄t tibi triti
cū vinū ⁊ oleū armēta boū et gre
ges ouiū donec te diſperdat et ꝯ
terat in cūctis vrbibus tuis ⁊ de
ſtruant᷑ muri tui firmi atqꝫ ſubli
mes in quib⁹ habebas fiduciam
in omī terra tua. Obſideberis ītra
portas tuas in omī terra tua quā

dabit tibi dñs deus tuus ⁊ come
des fructuꝫ vteri tui ⁊ carnes filio
rū tuoꝝ ⁊ filiarū tuarū quas dede
rit tibi dñs de⁹ tuus in anguſtia
et vaſtitate q̄ opprimet te hoſtis
tuus. Homo delicatus in te ⁊ luxu
rioſus valde inuidebit fratri ſuo ⁊
vxori que cubat ī ſinu ſuo ne det
eis de carnibus filioꝝ ſuoꝝ quas
comedꝫ: eo ꝙ nihil aliud habeat
in obſidione ⁊ penuria qua vaſta
uerint te inimici tui intra omnes
portas tuas. Tenera mulier ⁊ de
licata que ſuper terraꝫ ingredi n̄
valebat nec pedis veſtigiū figere
ꝓpter mollitieꝫ ⁊ teneritudinē ni
mīa: inuidebit viro ſuo qui cubat
in ſinu eius ſuper filijs ⁊ filie carni
bus ⁊ illuuie ſecundinarū q̄ egre
diūtur de medio feminū eius ⁊ ſu
per liberis q̄ eadē hora nati ſūt. Come
dent enī eos clā ꝓpt̄ reꝝ omniū pe
nuriā in obſidione ⁊ vaſtitate q̄
opprimet te inimicus tu⁹ intr̄ por
tas tuas. Niſi cuſtodieris ⁊ feceris
oīa verba legis hui⁹ q̄ ſcripta ſūt
in hoc volumine ⁊ timueris nomē
ei⁹ glorioſū ⁊ terribile hoc ē dñm
deuꝫ tuū: augebit dñs plagas tu
as ⁊ plagas ſeminis tui plagas
magnas ⁊ pſeuerātes infirmita
tes peſſimas ⁊ ꝑpetuas ⁊ ↄuertet
in te oēs afflictiones egipti q̄s
timuiſti ⁊ adherebūt tibi. Inſup
⁊ vniūſos languoēs ⁊ plagas q̄
non ſūt ſcripte in volumine legis
huius inducet dominus ſuper te
donec te conterat. Et remanebitis
pauci numero qui prius eratis ſi
cut aſtra celi pre multitudine: q̄m
non audiſti vocē dñi dei tui. Et ſic
ante letatus ē dñs ſup vos bn̄ vob̄

faciēs voſqꝫ multiplicās ſic letabi
tur diſperdens vos atꝫ ſubuertēs
ut auferamini de terra ad quam ī
gredieris poſſidendam. Diſperget
te dominus in omnes populos a
ſūmitate terre vſqꝫ ad terminos
eius ⁊ ſeruies ibi dijs alienis q̄s
⁊ tu ignoras ⁊ patres tui lignis
⁊ lapidib⁹. In gentibus quoqꝫ
illis non quieſces neqꝫ erit requi
es veſtigio pedis tui. Dabit enim
tibi dominus ibi cor pauidum ⁊
deficientes oculos ⁊ animam cō
ſumptam merore et erit vita tua
quaſi pendens ante te. Timebis
nocte ⁊ die ⁊ non credes vite tue
Mane dices quis mihi det veſpe
rum ⁊ veſpe quis mihi det mane
ꝓpter cordis tui formidineꝫ qua
terreberis et ꝓpter ea que tuis vi
debis ocul'. Reducet te dñs claſſi
bus in egiptū p viā de q̄ dixit tibi
ut eaꝫ āplius nō videres. Ibi ven
deris inimicis tuis in ſeruos ⁊ ācil
las ⁊ nō erit q̄ emat. ¶ Ca. xxix.

Hec ſunt verba federis quod
precepit dñs moyſi ut feri
ret cuꝫ filijs iſrahel in terra moab
preter illud fedus qd cum eis pe
pigit in oreb. Vocauitqꝫ moyſes
oēm iſrahel ⁊ dixit ad eos. Vos
vidiſtis vniūſa q̄ fecit dñs coraꝫ
vob̄ ī t̄ra egipti pharaoni ⁊ oib⁹
ſeruis ei⁹ vniūſeqꝫ t̄re illi⁹ tēpta
tiōes magnas q̄s viderūt oculi tui
ſigna illa portētaqꝫ ingētia ⁊ nō de
dit vob̄ dñs cor itelligēs ⁊ oculos
vidētes et aures q̄ poſſint audire
vſqꝫ in pñteꝫ diē. Adduxit vos .xl.
ānis p deſertū nō ſūt attrita veſti
mēta vr̄a nec calciamēta pedū vro
rū vetuſtate ↄſumpta ſūt. Panē n̄

comediſtis. vinū ⁊ ſiceraꝫ nō bi
biſtis ut ſciretis q̄r ipſe ē dn̄s deꝰ
veſter. Et veniſtis ad hūc locum
egreſſuſq̄ȝ ē ſeon rex eſebon et og
rex baſan occurrentes nobis ad
pugnā ⁊ pcuſſimꝰ eos ⁊ tulimus
terrā eoꝝ ac tradidimꝰ poſſiden
dam rubē ⁊ gad ⁊ dimidie tribui
manaſſe Cuſtodite ergo v̓ba pa
cti huiꝰ et implete ea ut intelliga
tis vniūſa q̄ facitis Vos ſtatis ho
die cūcti corā dn̄o deo vr̄o. pn̄cipes
veſtri ⁊ tribꝰ ac maiores natu at
q̄ȝ doctores oīs ꝑplus iſrl̄ liberi et
vxores veſtre ⁊ aduene q̄ tecū mo
rātur in caſtris exceptis lignoꝝ
ceſoribꝰ ⁊ hijs q̄ ꝯportāt aquas
ūt trāſeas in federe dn̄i dei tui ⁊ in
iureiurādo qđ hodie dn̄s deꝰ tuus
percutit tecū ut ſuſcitet te ſibi ī po
pulū ⁊ ipſe ſit dn̄s deus tuꝰ ſicut
locutꝰ ē tibi ⁊ ſicut iurauit prībꝰ
tuis abrahaꝫ yſaac ⁊ iacob. Nec
vobis ſolis ego hoc fedus ferio ⁊
hec iuramēta cōfirmo ſꝫ cunctis p̄
ſentibꝰ ⁊ abſētibus. Vos eñi no
ſtis quō habitauerimus in terra
egipti ⁊ quō trāſierimꝰ p mediū
nationū q̄s trāſeūtes vidiſtis ab
hominacōes et ſordes id ē ydola
eoꝝ lignū ⁊ lapidē argentū ⁊ au
rum q̄ colebant. Ne forte ſit inter
vos vir aut mulier familia ā tri
bus cuiꝰ cor auerſū eſt hodie a do
mino deo vr̄o ut vadat ⁊ ſeruiat
dijs illaꝝ gētiū ⁊ ſit inter vos ra
dix germinās fel ⁊ amaritudineꝫ
Cūq̄ȝ audierit v̓ba iuramēti huiꝰ
bn̄dicat ſibi ī corde ſuo dicēs pax
erit mihi ⁊ ambulabo in prauita
te cordis mei ⁊ aſſumat ebria ſiti
entē ⁊ dn̄s nō ignoſcat ei: ſꝫ tunc
q̄m maxime furor eius fumet et ze
lus cōtra hoīem illū et ſedeāt ſup
eū oīa maledicta q̄ ſcripta ſunt
in hoc volumīe ⁊ deleat dominus
nomē eius ſub celo ⁊ cōſumat eū
in pdicōne ex omnibus tribubꝰ iſ
rahel iuxta maledictōes que in li
bro legis huius ac federis ꝯtinen
tur. Dicetq̄ȝ ſequēs generatio ⁊ fi
lij q̄ naſcētur deīceps ⁊ peregrini
qui de lōge venerint vidētes pla
gas terre illius et infirmitates q̄
bus eā afflixerit dn̄s ſulphure ⁊
ſolis ardore ꝯburens ita ut vltra
nō ſerat̄ nec virēs quippiā germi
net in exēplū ſubūſionis ſodome
⁊ gomorre adame ⁊ ſeboim q̄s ſb
uertit dn̄s in ira ⁊ in furore ſuo ⁊
dicēt omēs gentes Quare ſic fecit
dominꝰ terre huic. Que ē hec ira
furoris eiꝰ immēſa. Et rn̄debunt
Quia dereliquerūt pactū dn̄i qđ pe
pigit cū patribus eoꝝ qñ eduxit
eos de terra egipti ⁊ ſuierūt dijs
alienis ⁊ adorauerūt eos q̄s neſci
ebāt ⁊ quibꝰ nō fuerāt attribu
ti idcirco iratus eſt furor dn̄i con
tra terrā iſtā ut induceret ſup eā
oīa maledicta q̄ in hoc volumine
ſcripta ſūt ⁊ eiecit eos de t̄ra ſua ī
ira ⁊ ī furore et ī indigñtione maxi
ma piecitq̄ȝ ī terrā alienā ſicut ho
die ꝯprobat̄ Abſcōdita a dn̄o deo
nr̄o que maīfeſta ſūt nob̄ ⁊ filijs
nr̄is vſq̄ȝ in ſempit̄nū ut faciamꝰ
vniuerſa legis huiꝰ. Ca. xxx.
CVm ergo venerint ſuper te
omīs ſermones iſti bn̄dictō
ſiue maledictō quā ꝓpoſui in con
ſpectu tuo ⁊ ductus penitudīe cor
dis tui in vniūſis gētibꝰ in quas
diſpſerit te dn̄s deus tuꝰ ⁊ reuerſus

fueris ad eũ ⁊ obedieris eius im
perijs ſicut ego hodie p̄cipio tibi
cum filijs tuis in toto corde tuo ⁊
in tota aīa tua: reducet te dñs de
us tuꝰ de captiuitate tua ac miſe
rebitur tui ⁊ rurſũ cõgregabit te
de cūctis populis in quos te añ di
ſperſit. Si ad cardines celi fueris
diſſipatus inde te ētrahet dñs de
us tuꝰ: ⁊ aſſumet atqꝫ introducꝫ
in terrā quā poſſederūt pr̄es tui ⁊
obtinebis eā ⁊ bñdicens tibi ma
ioris numeri te eſſe faciet ꝗ̄ fue
rūt pr̄es tui. Circūcidet dñs deus
tuus cor tuũ ⁊ cor ſeminis tui: ut
diligas dñm deum tuum ex toto
corde tuo ⁊ in tota aīa tua ut poſ
ſis viuere. Oēs autē maledictōes
has cõuertet ſup inimicos tuos ⁊
eos qui oderūt te ⁊ pſequūtur. Tu
autē reuerteris ⁊ audies vocē do
mini dei tui faciesqꝫ vniuerſa mā
data que ego p̄cipio tibi hodie ⁊
abūdare te faciet dominꝰ deꝰ tuꝰ
in cūctis opibus manuũ tuaꝝ in
ſobole vteri tui ⁊ in fructu iumen
toꝝ tuoꝝ: in vbertate terre tue et
in rerũ oīnũ largitate. Reuertetur
eñ dñs ut gaudeat ſup te in oīni
bꝰ bonis ſicut gauiſus eſt in pr̄i
bus tuis. ſi tñ audieris vocem do
mini dei tui ⁊ cuſtodieris p̄cepta
eius ⁊ cerimōias que in hac lege
cõſcripta ſunt ⁊ reuertaris ad do
minũ deum tuũ in toto corde tuo
⁊ in tota anima tua. Mādatũ hꝰ
qḋ ego p̄cipio tibi hodie nō ſup̄
te eſt neqꝫ ꝓcul poſitũ. nec in celo
ſitũ: ut poſſis dicē ꝗs nrm valet
ad celū aſcendē ut deferat illud
ad nos ut audiamꝰ atqꝫ ope cõ
pleamꝰ: neqꝫ trās mare poſitũ ut
cauſeris ⁊ dicas ꝗs e nob̄ poterit
mare trāſfretare ⁊ illud ad nos vſ
qꝫ deferre ut poſſimꝰ audire ⁊ face
re qḋ p̄ceptũ eſt. ſꝫ iux̄ te eſt ſmo
valde in ore tuo ⁊ in corde tuo ut
facias illũ. Conſidera ꝙ hodie ꝓ
poſuerī in ɔſpcũ tuo vitaꝫ ⁊ bonū
⁊ ecõtrario mortē ⁊ malũ: ut dili
gas dñm deũ tuũ ⁊ ābules ī vijs
eius ⁊ cuſtodias mādata illiꝰ et
cerimonias atqꝫ iudicia ⁊ viuas
atꝫ multiplicet te bñdicatqꝫ tibi
in terra ad quā ingredieris poſſi
dēdam. Si autēꝫ auerſũ fuerit cor
tuũ ⁊ audire nolueris atꝫ errore
deceptus adoraueris deos alienos
⁊ ſeruieris eis: p̄dico tibi hodie
ꝙ peas ⁊ paruo tēpe moreris in
terra ad quā iordane trāſmiſſo
ingredieris poſſidēdaꝫ. Teſtes in
uoco hodie celũ ⁊ terrā ꝙ ꝓpoſue
rim vob̄ vitā ⁊ bonū: bñdictōem
⁊ maledictōem. Elige ergo vitaꝫ
ut ⁊ tu viuas ⁊ ſemē tuum: ⁊ dili
gas dñm deũ tuũ atꝫ obedias vo
ci eius ⁊ illi adhereas. Ipſe ē eñ
vita tua ⁊ lōgitudo dieꝝ tuoꝝ ut
hītes in terra ꝓ q̄ iurauit dñs pa
tribꝰ tuis abrahā yſaac ⁊ iacob
ut daret eam illis. Ca. xxxi.

Abijtqꝫ moyſes ⁊ locutus eſt
oīa verba hec ad vniuerſũ
iſrl̄ ⁊ dixit ad eos. Centũ viginti
annorũ ſũ hodie nō poſſum vltr̄
egredi ⁊ ingredi: preſertim cum ⁊
dñs dixerit m̄ n̄ trāſib̄ iordanē iſtū
dñs ḡ deꝰ tuus trāſibit añ te. Ipſe
delebit oēs gentes has in conſpe
ctu tuo ⁊ poſſidebis eas. Et ioſue
iſte trāſibit añ te ſic locutꝰ ē dñs.
Facietqꝫ dñs eis ſicut fecit ſeon
⁊ og regibꝰ amorreoꝝ ⁊ tre eoꝝ

delebitqꝫ eos Cum ergo ⁊ hos tra
diderit vobis ſimilit̃ facietis eis
ſicut precepi vobis. Viriliter agi
te ⁊ ↄfortamini. Nolite timere ne
paueatis ad ↄſpectū eorū qꝛ dn̄s
deus tuus ipſe ē ductor tuuſ ⁊ nō
dimittet nec derelinquet te. Voca
uitqꝫ moyſes ioſue et dixit ei corā
omī iſrahel. Confortare ⁊ eſto ro
buſtus Tu enī introduces ꝓplꝫ
iſtū in terrā quā daturū ſe prib⁹
eorū iurauit dn̄s et tu eā diuides
ſorte. Et dn̄s q̄ ductor ē veſter ipē
erit tecū. non dimittet nec derelin
quet te. Noli timere nec paueas.
Scripſit itaqꝫ moyſes legē hanc
⁊ tradidit eā ſacerdotib⁹ filijs leui
q̄ portabāt archam federis dn̄i ⁊
cūctis ſenioribus iſrl̃. Precepitqꝫ
eis dicēs. Poſt ſeptē ān̄os remiſ
ſionis in ſollemnitate tab̃naculo
rū ↄuenientib⁹ cūctis ex iſrahel
vt appareāt in ↄſpectu dn̄i dei tui ī
loco quē elegerit dn̄s: leges v̉ba
legis huius coram omī iſrahel: au
dientib⁹ eis ⁊ in vnū omī populo
ↄgregato. tam viris q̄ᷓ mlierib⁹
puulis ⁊ aduenis q̄ ſūt intra por
tas tuas vt audientes diſcāt ⁊ ti
meant dn̄m deū vr̄m ⁊ cuſtodiāt
impleantqꝫ omēs ſmones legis
huius Filijqꝫ eorꝫ q̄ nūc ignorāt
vt audire poſſint ⁊ timeant dn̄m
deū ſuū cunctis dieb⁹ q̄b⁹ v̉ſant̃
in terra ad quā vos iordane trāſ
miſſo pgitis obtinendam. Et ait
domin⁹ ad moyſen Ecce ꝓpe ſunt
dies mortis tue Voca ioſue ⁊ ſta
te in tabernaculo teſtimonij vt p̄
cipiam ei. Abierūt ergo moyſes
⁊ ioſue et ſteterūt in tabernaculo
teſtimonij: apparuitqꝫ domin⁹ ibi

in colūna nubis q̄ ſtetit ī introitu
tab̃naculi: dixitqꝫ dn̄s ad moyſē
Ecce tu dormies cum prib⁹ tuis et
ꝓpl's iſte ↄſurgens fornicabit̃ p⁹
deos alienos in terra ad quā in
gredie t̃ vt habitet in ea: ibi dēli
quet me et irritū faciet fedus q̄d
pepigi cū eo. Et iraſcet̃ furor me⁹
ↄtra eū ī die illo ⁊ derelinquā eū
⁊ abſcondā faciem meā ab eo et
erit in deuorationē. Inuenient eū
omīa mala et afflictōes ita vt di
cat in illa die. Vere qꝛ nō eſt de⁹
mecū: inuenerūt me hec mala. Ego
aūt abſcondā ⁊ celabo faciē meā
ī die illo ꝓpter omīa mala q̄ fecit
qꝛ ſecutus ē deos alienos. Nunc
itaqꝫ ſcribite vobis canticū iſtud
⁊ docete filios iſrahel vt memorit̃
teneant ⁊ ore decantēt et ſit mihi
carmē iſtud ꝓ teſtimonio inter fi
lios iſrahel. Introducā enī eum
in terrā ꝓ qua iuraui patrib⁹ ei⁹
lacte ⁊ melle manantem. Cumqꝫ
ↄmederint et ſaturati craſſiqꝫ fue
rint: auertent̃ ad deos alienos ⁊
ſeruient eis: detrahentqꝫ mihi et
irritū facient pactū meū. Poſtq̄ᷓ
inuenerint eū mala multa ⁊ affli
ctiones: reſpondebit ei canticum
iſtud ꝓ teſtimonio q̄d nulla dele
bit obliuio ex ore ſemīs tui Scio
enī cogitaciones eius q̄ facturus
ſit hodie anteq̄ᷓ itroducā eū ī trā
quā ei pollicit⁹ ſū Scripſitqꝫ moy
ſes canticū et docuit filios iſrahel
Precepitqꝫ dn̄s ioſue filio nun ⁊
ait. Confortare ⁊ eſto robuſtus
Tu enī introduces filios iſrahel
in terrā quā pollicit⁹ ſū ⁊ ego ero
tecū. Poſtq̄ᷓ g° ſcripſit moyſes
v̉ba legis huiuſ in volūie atqꝫ

ↄpleuit: p̄cepit leuitis qui porta
bant archā federis domini dicēs·
Tollite libꝝ istū ⁊ ponite eū in la
tere arche federis dn̄i dei vestri ut
sit ibi contra te in testimonium·
Ego eni scio cōtencōem tuā ⁊ cer
uicē tuā durissimā. Adhuc viuēte
me ⁊ igrediēte vobiscū semp ꝯtē
tiose egistis cōtra dn̄m: quanto
magis cū mortuꝰ fuero. Congre
gate ad me ōnes maiores natu p
tribꝰ vr̄as atꝫ doctores: ⁊ loq̄r au
dientibꝰ eis sermōes istos ⁊ inuo
cabo cōtra eos celū ⁊ terrā. Noui
enim ꝙ post mortē meaꝫ iniq̄ age
tis ⁊ declinabitis cito de via quā
precepi vobis ⁊ occurrent vobis
mala in extremo tpe qn̄ feceritis
malū in cōspectu dn̄i ut irritetis
eū p opera manuū vestrarꝫ. Locu
tus est ergo moyses audiēte vni
uerso cetu isrl̄ verba carmis hu
ius ⁊ ad finē vsqꝫ ꝯpleuit.

Ca. xxxij.

Audite celi que
loquor audiat terra verba
oris mei. Concrescat in pluuiā do
ctrina mea: fluat ut ros eloquiuꝫ
meū. Quasi ymber sup herbam ⁊
quasi stille sup gramina qꝛ nomē
dn̄i inuocabo. Date magnificētiā
deo nostro. dei pfecta sunt opa: et
ōnes vie eius iudicia. Deꝰ fidelis
⁊ absqꝫ vlla iniq̄tate iustꝰ ⁊ rectꝰ.
Peccauerūt ei nō filij eius in sor
dibus. Generacō praua atꝫ puer
sa. hecine reddis dn̄o popule stul
te ⁊ insipiens. Nunq̄d non ipse ē
pater tuꝰ qui possedit te ⁊ fecit et
creauit te. Memēto dierū antiq̄
rum cogita gn̄acōes singulas. In
terroga prēm tuuꝫ ⁊ annūciabit
tibi maiores tuos ⁊ dicent tibi.
Quando diuidebat altissimꝰ gen
tes quādo separabat filios adā
constituit terminos populorꝫ iux
ta numerū filiorꝫ isrl̄. Pars autē
dn̄i populꝰ eius: iacob funiculus
hereditatis eius. Inuenit eū i ter
ra deserta: in loco horrois ⁊ vaste
solitudīs. Circūduxit eū ⁊ docuit
⁊ custodiuit q̄si pupillā oculi sui.
Sicut aq̄la ꝓuocans ad volandū
pullos suos ⁊ sup eos volitans.
Expādit alas suas ⁊ assumpsit
eū atqꝫ portauit in humeris suis.
Dn̄s solus dux eius fuit ⁊ nō erat
cū eo deus alienus. Constituit eū
sup excelsam terrā ut comederet
fructꝰ agrorum. Vt sugeret mel de
petra oleūqꝫ de saxo durissimō. Bu
tirū de armento ⁊ lac de ouibꝰ cū
adipe agnorū ⁊ arietum filiorum
basan. Et hircos cū medulla triti
ci ⁊ sanguinē vue biberent mera
cissimū. Incrassatus est dilectus
⁊ recalcitrauit incrassatus impi
guatus dilatatꝰ. Dereliquit deuꝫ
factorem suum ⁊ recessit a deo salu
tari suo. Prouocauerunt eum in
dijs alienis ⁊ in abhominacioni
bus ad iracundiam concitauerūt.
Immolauerunt demonijs ⁊ non deo
dijs quos ignorabant. Noui re
centesqꝫ venerunt quos non colu
erunt patres eorum. Deum qui te
genuit dereliquisti ⁊ oblitus es
domini creatoris tui. Vidit domi
nꝰ ⁊ ad iracundiā ꝯcitatꝰ est qꝛ
ꝓuocauerūt eū filij sui ⁊ filie. Et ait
abscondā faciē meā ab eis ⁊ cōsi
derabo nouissima eorꝫ. Generacō
enim peruersa est et infideles fi
lij. Ipsi me prouocauerunt in eo
qui nō erat deus ⁊ irritauerunt in

vanitatibꝰ ſuis ⁊. Et ego ꝓuoca
bo eos in eo q̄ nō eſt ꝑpl̄s ⁊ ī gēte
ſtulta irritabo illos. Ignis ſuccē
ſus ē in furore meo ⁊ ardebit vſqꝫ
ad īferni nouiſſima Deuorabitqꝫ
terrā cū germine ſuo ⁊ montiū fū
damenta cōburet. Congregabo
ſup eos mala et ſagittas meas
cōplebo in eis. Conſument fame
⁊ deuorābūt eos aues morſu ama
riſſimo. Dentes beſtiaꝝ immittā
in eos cū furore trahentiū ſup ter
rā atqꝫ ſerpentiū Foris vaſtabit
eos gladius ⁊ intus pauor iuue
nē ſimul ac v̄ginē lactentē cū ho
mine ſene Et dixi. Vbinam ſūt.
Ceſſare faciam ex hominibꝰ me
moriā eoꝝ. Sed ꝓpter irā inimi
corū diſtuli ne forte ſupbirēt ho
ſtes eoꝝ. Et dicerent manus nr̄a
excelſa ⁊ nō dn̄s fecit hec omnia
Gens abſqꝫ ↄſilio ē et ſine prudē
tia vtinā ſaperent ⁊ intelligerent
ac nouiſſima ꝓuiderent. Quomō
pſequebat̄ vnus mille ⁊ duo fu
garent decē milia. Nonne ideo ꝙ
deus ſuus vendidit eos ⁊ dn̄s cō
cluſit illos. Non enī ē deus nr̄ vt
deus eoꝝ ⁊ inimici nr̄i ſūt iudices
De vinea ſodomoꝝ vinea eorum
et de ſuburbanis gomorre. Vua
eoꝝ vua fellis ⁊ botri amariſſimi
Fel draconū vinū eoꝝ ⁊ venenū
aſpidū inſanabile Nonne hec cō
dita ſūt apud me et ſignata ī the
ſauris meis. Mea eſt vltio ⁊ ego
retribuā eis in tēpore vt labatur
pes eoꝝ. Iuxta ē dies pdicōnis ⁊
adeſſe feſtinant tēpora. Iudica
bit dn̄s ꝑplm ſuū et in ſeruis ſuis
miſerebit̄. Videbit ꝙ infirmata
ſit manus et clauſiqꝫ defecerunt
reſiduiqꝫ cōſumpti ſūt. Et dicent.
Vbi ſūt dij eorū in quibus habe
bant fiduciā. De quoꝝ victimis
comedebāt adipes ⁊ bibebant vi
nū libaminū Surgāt ⁊ opitulēt̄
vobis ⁊ in neceſſitate vos ꝓtegāt
Videte ꝙ ego ſim ſolus et nō ſit
alius deus p̄ter me. Ego occidā
⁊ ego viuere faciā pcutiam ⁊ ego
ſanabo et nō ē qui de manu mea
poſſit eruere. Leuabo ad celū ma
nū meā ⁊ dicā viuo ego in etnū
Si acuero vt fulgur gladiū meū
⁊ arripuerit iudiciū manꝰ mea
Reddam vltionē hoſtibus meis
⁊ hijs q̄ oderūt me retribuā. Ine
briabo ſagittas meas ſanguine
⁊ gladius meꝰ deuorabit carnes
De cruore occiſoꝝ ⁊ de captiuita
te nudati inimicoꝝ capitis. Lau
date gentes ꝑplm eius ꝙ ſāguī
nem ſeruoꝝ ſuoꝝ vlciſcet̄. Et vin
dictā retribuet in hoſtes eoꝝ ⁊ ꝓ
picius erit terre populi ſui Venit
ergo moyſes ⁊ locutus ē omnia
verba cantici huius in auribꝰ po
puli ipē ⁊ ioſue filius nun Cōple
uitqꝫ oīs ſmones iſtos loquēs
ad vniūſū iſrahel et dixit ad eos
Ponite corda vr̄a ī omnia verba
mea q̄ ego teſtificor vobis hodie
vt mādetis ea filijs veſtris cuſto
dire ⁊ facē et implere vniūſa que
ſcripta ſūt in volumīe legis huiꝰ
ꝙ nō incaſſum p̄cepta ſūt vobis
ſed vt ſinguli in eis viuerēt que
faciētes longo tēpore pſeueretis
ī terra ad quā iordane trāſmiſſo
īgredimini poſſidendā. Locutꝰqꝫ
ē dn̄s ad moyſen in eadē die di
cens Aſcende in montē iſtū aba
rim id eſt tranſitū in montē nebo

qui eſt in terra moab cōtra iheri
cho ⁊ vide terrā chanaan quām
ego tradā filijs iſrahel obtinēdā
⁊ morere in monte. Quē ɔſcēdens
iūgeris populis tuis ſicut mortuꝰ
eſt aaron frať tuus in mōte hor ⁊
appoſitꝰ populꝰ ſuis. qꝛ p̄uaricati
eſtis ɔtra me ī medio filioꝝ iſrl̄
ad aquas ɔtradictōis in cades
deſerti ſyn: ⁊ non ſanctificaſtis
me inter filios iſrl̄. E cōtra videb̄
eam ⁊ nō ingredieris in eā quā
ego dabo filijs iſrl̄. Ca. xxxiij.

Hec eſt bn̄dictō qua bn̄dixit
moyſes homo dei filios iſrl̄
ante mortē ſuā. Et ait. Dn̄s de ſy
na venit ⁊ de ſeir ortus eſt nobis
Apparuit de mōte pharan ⁊ cum
eo ſanctoꝝ milia. In dextra eiꝰ ig
nea lex dilexit populos. Om̄es ſā
cti in manu illiꝰ ſunt: ⁊ qui appro
pinquāt pedibꝰ eius accipient de
doctrina illiꝰ. Legem precepit no
bis moyſes: hereditatē multitudi
nis iacob. Erit apud rectiſſimum
rex ɔgregatis pn̄cipibꝰ populi cū
tribubꝫ iſrahel Viuat ruben ⁊ nō
moriatur ⁊ ſit paruus in nūero.
Hec eſt iude bn̄dictio. Audi dn̄e
vocem iude ⁊ ad populū ſuum in
troduc eum. Manꝰ eius pugn̄būt
p̄ eo ⁊ adiutor illius cōtra aduer
ſarios eius erit. Leuiq3 ait. Per
fectio tua ⁊ doctrina tua a viro ſā
cto tuo quē pbaſti in temptacōe
⁊ iudicaſti ad aquas cōtradicti
onis. Qui dixit patri ſuo ⁊ matri
ſue neſcio vos et fratribꝰ ſuis ig
noro illos ⁊ neſcierūt filios ſuos
Hij cuſtodierūt eloquium tuum
⁊ pactum tuū ſeruauerūt iudicia
tua o iacob ⁊ legem tuā o iſrahel

Ponent thimiama in furore tuo
⁊ holocauſta ſup altaē tuū. Bene
dic domine fortitudini eiꝰ ⁊ opera
manuū illius ſuſcipe. Percute dor
ſa inimicoꝝ eius ⁊ q̄ oderunt eū
non cōſurgant. Et beniamin ait.
Amantiſſimꝰ domini habitabit
confidēter in eo quaſi ī thalamo
tota die morabitur: ⁊ inter hume
ros illius requieſcꝫ. Ioſeph quo
q3 ait. De bn̄dictōe domini terra
eius: de pomis celi ⁊ rore atq3 abiſ
ſo ſubiacente. De pomis fructuū
ſolis ac lune. de vertice antiquoꝝ
montium. de pomis collium eter
norū: ⁊ de frugibus terre ⁊ de ple
nitudine eius. Benedictō illius
qui apparuit in rubo veniat ſuper
caput ioſeph ⁊ ſup verticē naza
rei inter fratres ſuos. Quaſi pmo
geniti thauri pulchritudo eius:
cornua rinocerotis cornua illius
In ipſis ventilabit gētes vſq3 ad
terminos terre. Hee ſunt multitu
dines ephraim ⁊ hec milia manaſ
ſe. Et zabulon ait. Letare zabulō
in exitu tuo ⁊ yſachar in taberna
culis tuis. ꝑplos vocabūt ad mō
tē ibi imolabūt victimas iuſtitie
Qui inūdacōem maris quaſi lac
ſugēt ⁊ theſauros abſcōditos are
narū Et gad ait. Bn̄dictꝰ in latitu
dine gad. Quaſi leo requieuit cepit
q3 brachiū ⁊ verticē. Et vidit prin
cipatū ſuū qꝛ in pte ſua doctor eēt
repoſitꝰ q̄ fuit cū pn̄cipibꝰ populi
⁊ fecit iuſticias dn̄i ⁊ iudiciū ſuū
cū iſrl̄. Danq3 ait. Dan catulꝰ leo
nis fluet largiť de baſan. Et nep
tali dixit. Neptalim abūdantia p
fruetur ⁊ plenꝰ erit bn̄dictōibꝰ dn̄i
Mare et meridiem poſſidebit.

Aſerq; ait. Bn̄dict⁹ in filijs aſer.
Sit placēs fr̄ibus ſuis ⁊ intinguat
in oleo pedē ſuū. Ferꝝ et es calcia
mentū ei⁹. Sic dies iuuētutis tue:
ita ⁊ ſenectus tua. Non eſt alius
ut de⁹ rectiſſim⁹. Aſcēſor celi auxi
liator tuus. Magn̄ificētia ei⁹ diſcur
rūt nubes. Habitaculū ei⁹ ſurſū ⁊
ſbter brachia ſempit̄na. Eiciet a
facie tua inimicū dicetq; ꝯtere.
Habitabit iſrl' ꝯfidēter ⁊ ſolus.
Ocul⁹ iacob in terra frumēti ⁊ vi
ni: celiq; caligabūt rore. Beatus
tu iſrl'. Quis ſilis tui: popule qui
ſaluaris in dn̄o. Scutū auxilij tui
⁊ gladi⁹ glīe tue. Negabūt te ini
mici tui ⁊ tu eoꝝ colla calcabis.

Aſcendit ergo Ca. xxxiiij.
moyſes de cāpeſtrib; moab
ſup montē nebo i verticē phaſga
ꝯtrā iericho oſtēditq; ei dn̄s omē
terrā galaad vſq; dan ⁊ vniūſū
neptalim terrāq; ephraim ⁊ ma
naſſe ⁊ omē terrā vſq; ad mare
nouiſſimū ⁊ auſtralē ptē et lati
tudinē cāpi iericho ciuitatis pal
marū vſq; ſegor. Dixitq; dn̄s ad
eū. Hec eſt terra ꝓ q̄ iuraui abra
ham yſaac ⁊ iacob dicēs Semini
tuo dabo eā. Vidiſti eā ocul' tuis
⁊ nō trāſibis ad illā. Mortuuſq; ē
ibi moyſes ſeru⁹ dn̄i in terra mo
ab iubēte dn̄o ⁊ ſepeliuit eū i val
le terre moab ꝯtrā phogor et non
ꝯgnouit hō ſepulchꝝ ei⁹ vſq; in
p̄ntē diē. Moyſes centū ⁊ vigin
ti annoꝝ erat qn̄ mortu⁹ ē. Nō ca
ligauit ocul⁹ ei⁹ nec dentes illius
moti ſūt. Fleuerūtq; eū filij iſrl' in
campeſtrib⁹ moab triginta dieb⁹
⁊ ꝯpleti ſūt dies planctus lugen
tiū moyſen. Joſue vero fili⁹ nun
repletus ē ſpū ſapiētie. quia moyſes
poſuit ſup eū man⁹ ſuas. Et obedi
erūt ei filij iſrl' feceruntq; ſicut p̄ce
pit dn̄s moyſi. Et nō ſurrexit pro
pheta vltra in iſrl' ſicut moyſes quē
noſſet dn̄s facie ad faciē in oīb⁹
ſignis atq; portētis q̄ ꝑ eū miſit
ut faceret in terra egipti pharao
ni ⁊ oīb⁹ ſeruis eius vniūſeq; ter
re illi⁹ ⁊ cūctam manū robuſtam
magnaq; mirabilia que fecit moy
ſes coram vniuerſo iſrahel.

Explicit deuteronomiū. Inci
pit ꝓlogus beati Jeronimi
preſbiteri in librum Joſue.

TAndē finito penta
theuco moyſi velut
grandi fenore libe
rati ad ieſū filium
naue manum mitti
mus quē hebrei ioſue bennun id ē
ioſue filiū nun vocāt ⁊ ad iudicū
librꝝ quem ſopthim appellāt. ad
ruthq; ⁊ heſter quos ijſdem noi
bus efferūt. Monemuſq; lectorē
ut ſiluam hebraicoꝝ nominū et
diſtinctōnes ꝑ mēbra diuiſas di
ligēs ſcriptura ꝯſeruet ne ⁊ nr̄ la
bor ⁊ illi⁹ ſtudiū pereat. Et ut in p̄
mis q̄d ſepe teſtat⁹ ſū ſciat me nō
in reprehenſionē veteꝝ noua cudē
ſicut amici mei criminātur. ſꝫ ꝓ vi
li portione offerre lingue mee dōi
bus. quos tm̄ noſtra delectāt ut ꝓ
grecoꝝ exaploys que ⁊ ſūptu et
labore maximo indigēt: editōnē
nr̄aȝ habeāt. Et ſicubi in antiquo
rū voluminū lectōne dubitarint:
hec illis ꝯferētes inueniāt q̄d req̄
rūt. Maxime cū apud latinos tot